

Franckesche Stiftungen zu Halle

Oeconomia Temporum Novi Testamenti, Exhibens Gubernationem Dei In Ecclesia

Majus, Johann Heinrich

Francofurti ad Moenum, MDCCXXI.

VD18 11274050

Caput VII. De Historia Ultimi Paschatos, Ac Speciatim Passione Et Morte Domini.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-199398

cavit & in hanc vitam revocavit. Quo evidenti miraculo con- Joh. XI. 17. s.
specto, multi in JESUM crediderunt; alii vero Phariseorum
principibus id renunciarunt, ut viderent, ne quid detrimenti
ex tanti miraculi fama eorum autoritas pateretur. Joh. XI.
17. -- 47.

XLI.

Pharisei igitur & Pontifices protinus Synedrium convo- Judai dea
cretum de
eo tollendo
faciunt,
quod effu-
git JEsus.
carunt, ac in eo de JESU tollendo e medio deliberarunt, præ-
texentes periculum excidiumque & urbis & gentis Judaica, si
JESUM sinerent prædicare & miracula patrare. Cumq; con-
cilio præses & pontifex illius anni Caiphas esset, is non tam ex
prudencia περισυριω, quæ consilia dicitat necessaria, licet non
honestæ sint, quam ex DEI directione, suasit prædixitque re-
demtionis mysterium, quando affirmavit, melius esse, ut unus
moriatur pro populo. Ex quo die de interimendo JESU cito
consilia inierunt, & omnem occasionem quæfiverunt. Quod
cum JESUM non lateret, subduxit se in urbem *Ephrajim*, ibiq;
tandiu commoratus est, quoad hora destinata passionis & mor-
tis appropinquavit. Joh. XI. 47. -- 57.

CAPUT VII.

DE

HISTORIA VLTIMI PASCHATOS,
AC SPECIATIM PASSIONE ET MORTE DOMINI,

I.

CUM vero tempus præstitutum instaret, JEsus sponte *Ephrai-* JEsus Be-
thanie in-
tingitur.
mo *Bethaniam* reversus est, milliarium duorum ac dimidii in-
terstitio, die Veneris vesperi, vel summo mane Sabbathi (Sandh.
p. 119.) qui sextus erat ante Pascha dies, ibique quievit, ac in-
ter

Joh. XII. ter cenandum inunctus est a Maria unguento pretiosissimo ex
1. ff. nardo puro s. fideli confecto. Quod cum indigne Judas ferret,
 ac intempestive de sumtu obmurmuraret male profuso & melius
 in usum pauperum expendendo, JESUS officiosam mulieris pic-
 tatem defendit, ac singulari DEI consilio eam susceptam affir-
 mavit, ut hoc tam luculento præsagio mors & sepultura ejus si-
 gnificaretur. Cumque turbæ percepissent, JESUM Bethaniz
 esse, eo statim confluunt, non tantum Domini sed Lazari quo-
 que causa, quem trucidare cupiebant, propterea quod multi
 ob ipsum excitatum a Christo in eum crediderunt. *Joh. XII.*
 1. -- 12.

II.

*Hierosoly-
 mam
 plaudente
 turba
 intrat.*

*templum
 purgat, &
 agrotos sa-
 nat,*

Sequenti die, qui quintus ante Pascha & decimus mensis
Abib (dies Solis s. prima hebdomadis feria) erat, quo agnus pa-
 schalis selectus & a grege separatus fuit, Bethaniâ Hierosoly-
 mam tendebat, ac eo nomine discipulos præmittebat, ut ali-
 num cum pullo adferrent, quo iis vectus urbem, juxta vatici-
 nium Zachariæ IX. 9. ingrederetur. Quod cum fecissent Apo-
 stoli prompte & obsequiose, alternis vicibus jumentis infedit, &
 inter gratulantis, gratulationemque variis signis devote testantis
 populi, plausus, ivit per montem oliveti, *Matth. XXI. 1. -- 10.*
Marc. XI. 1. -- 11. Luc. XIX. 29. -- 40. Joh. XII. 12. -- 19. ac ubi
 propior urbi factus, ejus cœcitatem acerbissimis lachrymis de-
 flevit, & excidium prædixit. *Luc. XIX. 41. -- 45.* Urbem valde
 commotam (*Matth. XXI. 11. -- 19.*) templumque ingressus, ejus
 repurgationem denuo suscepit, ejectis emtoribus atque vendi-
 toribus, *Matth. XXI. 12. 13. Marc. XI. 11. Luc. XIX. 45. 46.*
 publice docens & sanans cœcos claudosque, inter parvulorum
 acclamationes; quibus cum offenderentur Principes Sacerdo-
 tum & Scribæ, JESUS è Psalmo VIII. 3. infantes defendit,
Matth. XXI. 14. -- 17. nec quisquam hostium ausus fuit eum
 comprehendere, quum plebs ex ejus ore penderet. *Luc. XIX.*
 47. 48.

III. His

III.

His per diem in Templo peractis, sub vesperam divertit
 rursus in Bethania, ac postero die summo mane Hierosolymam
 redit; inter eundem vero esuriens ad ficum, foliis instructam,
 accessit, existimans illam ex eo ficum genere esse, quæ præco-
 ces fructus ferunt; sed cum nullos ficus inveniret, arbori ma-
 ledixit, eaque illico exarescere cœpit. Matth. XXI 17. -- 20.
 Marc. XI. 12. -- 15. In templum ubi venit, iterum, ac tertia
 jam vice, templum purgat, expellens ejus profanatores. Quod
 posteaquam renunciatum fuit Pontificibus, consilia etiam de
 eo interimendo denuo inierunt; sed populum ei adhaerentem
 metuentes, destinata perficere non potuerunt. Marc. XI. 15. -- 19.
 Vid. Sandbag. p. 120.

*Marc. XI.
 11. seqq.
 ficus ma-
 ledicit, &
 tertium
 repurgat
 templum.*

IV.

Quæ cum ita agerentur, noluit JESUS pernoctare Hiero-
 solymis, ne ansam daret relinqueretque juratis hostibus, ante
 destinatum a Patre tempus se trucidandi. Quare, ut solebat,
 ingruente vespera urbe excessit, alteroq; post die in Templum
 rediit, eadem, qua consueverat, via. Quod dum facit, Apo-
 stoli observarunt in itinere, ficum maledictam radicitus exaru-
 isse, admiratique sunt; Petrus autem ea de re Dominum inter-
 rogavit, qui respondit, Apostolos simile non tantum sed & ma-
 jora miracula patraturus, & nihil non precibus consecuturos, si
 fidem minime vacillantem habuerint, & aliis delicta in se com-
 missa remiserint. Templum ubi ingressus fuit, Principes Sa-
 cerdotum, Legisperiti & Synedri alii ipsum adeunt interro-
 gantque, qua potestate, & a quo data, expulisset mercatores e
 Templo, inque eo publice doceret? Quibus ille etiam propo-
 suit quæstionem, & qua ab iis soluta, responsurum se eorum
 Joannis baptismi sentirent, utrum crederent, eum divino aut
 humano consilio tale quid suscepisse? Tum hostes cernentes, se,
 M quic-

*Discipulis
 fidei præ-
 cipiunt
 vim ex-
 ponit.*

*Pontifici-
 bus qua-
 rentibus,
 qua pote-
 state fa-
 ceret ista,
 resp. per
 dicitur.*

*Matth.
XXII. 1.
seqq.
Apologis
contuma-
ciam Jud.
describit.
1. de duo-
bus filiis,*

*2. de vi-
nea eloca-
ta & an-
ferenda,*

*3. de nu-
pitiis a Re-
ge Filio
paratis.*

quicquid responderent, constrictos esse, dixerunt, se nescire. Quibus illico regessit JESUS, se quoque dicere nolle, qua potestate faceret ea, quæ in Templo agentem per aliquot dies viderant audiverantque. Mox Apologis aliquot Judæorum contumacium indolem describit, ac (1.) quidem in duobus filiis a Patre in vineam ire iussis, quorum unus negavit se iturum, postea tamen, pœnitentia ductus, ivit, alter affirmavit, nec tamen obtemperavit; aperte declaravit, Pontifices & Sacerdotes, multa pollicentes, & eximiam sanctitatem præ se ferentes, filio fallenti fidem similes esse, publicanos autem & meretrices, ad frugem redeuntes, præcessuros illos in regnum cœlorum, & exemplum ipsis reliquisse pœnitentiæ atque fidei: quod tamen sequi noluerint, licet Johannes viam consequendi veram justitiam per Messiam serio & constanter monstraverit, Matth. XXI. 20. -- 33. Marc. XI. 18. -- 33. Luc. XX. 1. -- 9. (2.) Parabolâ de vinea a Domino elocata colonis malis, qui servos fructus repetentes vel ceciderunt, vel vacuos & vulneratos remiserunt, vel trucidarunt, nec filio heri unico, tandem submisso, pepercerunt, sed vi ejectum interfecerunt, indicavit, Dominum, ex ipsomet adversariorum judicio, de sceleratis pœnas sumpturum, vineamque, quo nomine Ecclesiam signabat, (Jes. V. 1. ff.) in-ter Judæos plantatam, aliis vinitoribus, scil. Gentilibus, traditurum. Quod cum durum videretur hostibus, JESUS eos remisit ad Prophetarum oracula, quibus id jamdudum prædictum, Ps. CXVIII. 22. Es. VIII. 15. & mox implendum sit. His se peti intelligentes, magis irritati, cum comprehensuri fuissent, nisi populum metuissent. Matth. XXI. 33. -- 45. Marc. XII. 1. -- 13. Luc. XX. 9. -- 20. (3.) Alio denique apologo de nuptiis, a Rege Filio suo paratis, & ad eas semel iterumque hospiti- bus vocatis, sed venire renuentibus, & varie, sed in a-niter, se excusantibus, Regemque ad iram & vindictam provocantibus, adeoque indignos ingratosque juste repudiantem, Judæorum, rejectionem adumbravit. Matth. XXII. 1. -- 15.

V. Phari-

V.

Pharisei, aliiq; hujusmodi minaces sermones a Domino au- *Matth.*
dientes, iis non emendati sed potius incitati sunt, ut consilia ini- *XXII. 15.*
rent, de eo, si fieri posset, verbis irretiendo, unde vel invidiam *II.*
apud plebem, vel præsidem Romanum, ei moverent. Itaq; (1) *Esse*
subornarunt discipulos suos, qui assumtis Herodis ministris, bo- *frustra*
nos se viros fingerent ac discendi cupidos, eisque in mandatis *capere*
dederunt, ut blandis verbis Magistrum demulcerent, ac ca- *verbis*
pitiose eum interrogarent: fasne sit Judæis peregrino Regi tri- *tentant*
butum pendere? At JESUS eorum nequitiam detecturus vali- *1. Phari-*
deque returus, porrigi sibi petit numum, quem solvere Ro- *sai & He-*
manis solebant, ac ubi vidit, & ex ipsis adversariis intellexit, *rodiani.*
Cæsaris imaginem & nomen eum referre, respondit, & Cæsari
& DEO dandum esse, quæ ad utrumque pertineant. Quibus
auditis admirabundi abierunt, & Salvator sapientissime felicissi-
meque cum seditionis motæ tum religionis violatæ calumniam
in quæstione insidiosissima effugit. Illis autem cum pudore di-
scedentibus, accesserunt (2) *Saddu-*
gantes, & dubium, quo vexare Phariseos solebant, Domino *cei,*
proposuerunt, sperantes, se ratiocinatione, subtili scilicet, os
illi oclusuros, atque hinc occasionem triumphandi de eo, ad
silentium redacto, habituros. Septem fratres dicunt eandem
mulierem duxisse, ordine ætatis in nomen & bona defuncto-
rum succedentes, omnes tamen sine liberis mortuos esse, ac
mulierem etiam post eos fato functam, cum nulli alii viro nup-
sisset. Quærent igitur, cum mortui resurgant, cujus uxor ha-
benda sit, cum omnes eam habuerint? Ad hæc JESUS dupli-
cis ignorantia tentatores accusat, cum Scripturarum sacrarum,
tum potentia DEI; deinde ad objectionem respondens, falsam
hypothesin eorum rejecit, ac si inter homines, e morte excitatos
& cælo receptos, matrimoniorum conjunctio adhuc futura sit.
Tandem ratiocinatione firmissima è Mose adstruit resurrectio-
nem

Matth.
XXII.

3. Legis-
peritus.

Christi av-
τιρωτης
ex Evan-
gelio.

nem mortuorum, quod DEus profiteatur Exod. III. 6. se DEum esse Abrahami, Isaaci & Jacobi; unde colligi possit ac debeat, sanctos hosce Patriarchas non profus esse mortuos; sed vivere DEO & apud DEUM, qui proinde iis aliquando corpus redditurus sit, cum parte sui duntaxat vivant, cumque non tantum immortalibus animis sed integris hominibus benefacturus sit, vi fœderis gratiæ cum iis initi. Sic etiam feliciter Sadducæos profligavit. Unde (3) *Pharisæi* iterum resumptis animis JESUM adorti sunt, & unus eorum, Legisperitus, hac quæstione, quodnam esset maximum omnium præceptorum Legis? eum tentavit. Cui sine mora ex ipsa Lege respondit Dominus, ex uno præcepto de vero DEI cultu pendere omnia, nec tamen illud de dilectione proximi insuper habendum, sed illi simile, Deut. VI. 4. X. 12. hancque compendiarium summam Legis pariter ac Prophetarum esse dixit. Hoc responsum Legisperitus probavit ipse, & Christus vicissim eum collaudavit, ac non procul abesse a regno DEI affirmavit. Cumque ita ora omnium adversariorum suorum occlusisset JESUS, non ausi fuerunt tum amplius eum interrogare; Christus autem occasionem arripuit sed ex Evangelio, deque ejus nucleo quæsit, quid sentirent de Messia, cujus Filius sit? cumque Davidis duntaxat filium eum esse dicerent, excepit: qua ratione David Messiam suum Dominum profiteretur, Ps. CX. 1. Ad quod quæsitum siluerunt, mysterium pietatis summum ignorantes, & non ultra nudum hominem Messiam reputantes. Matth. XXII. 15. -- 46. Marc. XXII. 13. -- 38. Luc. XX. 20. -- 45.

VI.

Redarguis
JESUM Pha-
risæis
Scriba-
rum vi-
tia.

Cum his modis ingenium animumque suum malevolum in Salvatorem prodidissent Sadducæi pariter ac Pharisæi & Legisperiti, JESUS, illis quidem dimissis, hos, quorum præcipua apud populum dignitas erat, cum publico docendo munere fungerentur,

gerentur, & in cathedra Moſis ſederent, vivis coloribus depin-
xit, eorumque vitia acriter & ſevere coram diſcipulis ſuis & fre- *Matth.*
quenti hominum multitudine ideo perſtrinxit, ne hypocrifi & *XXIII.*
pravo eorum exemplo corrumpi ſe ſinerent. Non tamen pro-
hibuit eos audiri in cathedra & officio docendi conſtitutos, ſed
præcepit potius observari ea, quæ ex ſolis ſcriptis Moſis trade-
rent, abſque gloſſis & commentis propriis, cujuſmodi multa
aſſuant Scripturis ſacris, quemadmodum vel generatim conſtet
ex hoc: quod onera gravia & intoleranda aliis imponant, quaſi
per observationem præceptorum Moſis juſtificari & ſalvari de-
beant, de Meſſia vero, qui finis legis ſit, vel prorsus taceant, vel
dulciſſimas promiſſiones turpiſſimis nugis oblitterent: ac licet
videri velint & ipſi implere exactiſſime præcepta atque præſcri-
pta Moſis, docendo & faciendo; revera tamen omnia opera
ſua ita patrent, ut pietatem & religionem tantum oſtentent, &
gloriam ab imperitis captent. Hinc eorum ambitionem taxat,
quam in veſtitu, accubitu, & ſalutationibus tituliſque affecta-
tis prodant: a quibus omnibus procul abeſſe ſuos & acquieſcere
in uno Patre cœleſti & Doctore Chriſto, ac ab eo diſcere humi-
litate vult. Mox graves pœnas iſtis hypocritis denunciat,
propterea quod aditum ad cœleſte regnum aliis claudant, dum
viam vel cognitionem Evangelicam non inculcant, nec calcant:
quod longarum precum prætextu aliena ad ſe trahant: quod
profelytos & filios gehennæ faciant: quod juramenti abutan-
tur & perjuriis fores aperiant: quod minutiſſima deciment, ſed
maximi momenti præcepta negligant: quod exteriora probe
purgent, interiorem vero mundiciem non curent, ſicque ſepul-
chris dealbatiſ ſimiles ſint: quod Propheticidarum filii ſint &
progenies viperarum, licet eſſe nolint, atque ita menſuram Pa-
trum ſuorum impleant, eos, qui ad ipſos mittuntur etiam in po-
ſterum, occidendo & perſequendo, omnemque ſanguinis juſti,
inde ab Abele uſque ad Zachariam, fil. Barachix affuſi, reatum
in ſe derivando. Atque has pœnas non procul abeſſe ſed immi-
nere

Marc.
XII.

nere toti populo, ad extremum Salvator prædicit, quas etiam exprimit, ac tales fore dicit, ut & Templo & urbi sanctæ vastitatem inferant, & contemtricem gratiæ gentem dissipent, non prius recolligendam, quam Messiam serio & sæpius ipsos congregare volentem, agnoscant & vera fide recipiant. Matth. XXIII. tot. Marc. XII. 38. -- 41. Luc. XX. 45. -- 47.

VII.

Jesus vidua stipem collatam omnibus præfert.

His dictis JESUS sedit in porticu atrii mulierum, e regione gazophylacii, ubi variæ cistæ positæ, in quas quique ex variis occasionibus juxta ea, quæ offerre volebant, pecuniam coniciebant, ubi cum multos divites, quales Pharisei erant, multa immittere ostentationis gratia videret, tandem observavit viduam pauperulam, quæ duos exiguos nummos æreos in cistam misit, eamque, vocatis ad se discipulis, seorsim dixit, plus ceteris omnibus erogasse, cum illi ex copia, qua abundabant, & carere facile poterant, hæc autem de penuria sua, omnia, quæ habuerit, conjecerit, Marc. XII. 41. -- 44. Luc. XXI. 1. -- 5.

VIII.

Ad 3. quaestiones respondet 3. generatim.

Cum ista omnia in Templo acta essent, JESUS ultima vice inde egressus est, ad montem Oliveti, pro more suo, iturus. Inter eundem autem aliquis discipulorum, superioris vaticinii de devastatione Templi forte adhuc memor, immensæ opulentiæ Templum magnificamque ejus structuram & firmitatem admiratus, Dominum per plateam Templi (2. Par. XXIX. 4) ambulans intueri jubet pulcherrimum opus, subinuens, tanti operis demolitionem dolendam & vix sperandam esse. At JESUS denuo asseveravit, totum illud ita eversum iri, ut non relinquatur lapis super lapidem. Deinde cum ad montem Oliveti progressus esset, ibique confedisset, unde optimus in Templo depressior esset partibus cæteris, quatuor ex discipulis eum adeuntes

adeuntes seorsim interrogabant de excidii Templo prædicti *Matth. XXIV. 1.* tempore, cui duas adhuc addebant quæstiones, nempe, quodnam signum adventus Christi & finis mundi esset? Ad hæc *ff.* quæsitæ JESUS respondet cum generatim, tum speciatim. Generatim, propter tempora similia, monet, præcavendam sedulo esse seductionem, cum, multi Pseudo-Christi subinde sint venturi, multos decepturi incautos. Unde primum signum commune est seductio & hæresium multiplicatio. 2. sunt rumores de bello, & prælia dira. (conf. Apoc. VI. 4.) 3. seditiones, fames, pestis, terræ motus, (Apoc. VI. 5. -- 9.) 4. persecutiones piorum & hinc orta scandala, defectio, iniquitatisque multiplicatio, (Apoc. VI. 9.) 5. universalis Evangelii per totum orbem prædicatio. *Matth. XXIV. 1. -- 15. Marc. III. 1. -- 14. Luc. XXI. 5. -- 20.*

IX.

His generatim præmissis, Salvator ad singulas quæstiones *Speciatim* descendit, & superiora signa pleraque applicat. 1. *πανολέθειας* *ad t. de* Templi & urbis sanctæ signum propinquum & proprium ponit, *excidio* *Templi* *et ur-* *biæ &c.* *complementum vatini Danielis IX. 27.* quod probe notari vult, cum non tantum ad politæ sed etiam ad Ecclesiæ & Religionis vastitatem pertineat, a Romanis subito inferendam, & vix subita fuga, quam suadet, evitandam. Vastitatis hujus atrocitatem exaggerat a nomine, seu ἐμφάσει & epitheto, quando vocatur *βδελυγμα τῆς ἐρημώσεως*, a loco, a modo, tempore, & similibus; ut ostendat, tantam calamitatem populum Judaicum oppressuram, cui vix ulla similis ab initio rerum fuerit, aut post-hac futura sit. DEUM tamen electorum rationem habiturum & *πρωσ* sive *λείμμα κατ' ἰκλογὴν τῆς χάριτος* (Rom. XI. 5. ff.) reservaturum promittit. Præterea monet, ne isto intervallo, quo reliquiæ gentis per orbem terrarum dispergantur, a Pseudochristis aut Pseudoprophetis, quorum multi futuri sint, imponi sibi patiantur; Filii hominis enim, sive veri Messia, adventum celerri-

Matth. Ierrime & inopinato futurum, instar fulguris, in subitanea vindicta, ut vel inde cognoscere eum queant, qui in humilitate venientem agnoscere noluerint. Hierosolymam quippe & Judæam cadaver esse, quo aquilæ Romanæ convolaturæ, quodque devoraturæ sint. *Matth.* XXIV. 15. -- 29. *Marc.* XIII. 14. -- 24. *Luc.* XXI. 20. -- 25.

X.

ad 2. Q.
de signo
adventus
sui 2.

Hinc ad alteram quæstionem progreditur JESUS, & signa adventus sui alterius, quo ad simile & majus etiam judicium contra Antichristum eique adherentes populos instituturus, & ab iis pressos diu fideles ac pios liberaturus sit, stylo Prophetis usitato, describit. Signa illa horrenda conspicienda prædicat in Macrocosmo & Microcosmo. Ibi, cum in cælo, ut in Sole, Luna & stellis, partim obscurandis, partim decidendis, vel commovendis; tum in Mari sæviente: hic, in summa omnium gentium consternatione, perplexitate, exanimatone & planctu, e timore & expectatione imminentium calamitatum. Quæ signa alii proprie, alii improprie accipiunt, alii denique conjugi volunt, ut significetur, cum tota rerum natura commovenda, eos etiam, qui sub natura sunt, commotum & commutatum iri. Posthac *judicem* & modum adventus ipsius visibilem, gloriosum, & inopinatum, nec non *processum judicii*, Angelorum ministerio perficiendum, cum eventu impiis formidabili, piis autem læto felicique memorat, & horum statum eleganti parabola a ficu aliisque arboribus petita, illustrat. Conf. *Jes.* XIII. 9. ff. XXIV. 23. XXXIV. 4. *Joel.* II. 30. ff. *Apoc.* VI. 12. ff. & vid. *Theol. Evangel. Dom.* II. Adventus. Quæ omnia certo certius eventura confirmat, & non tantum veram Ecclesiam in periculis prædictis conservandam ac liberandam, verum etiam Judaicam gentem non desituram distinctum esse populum, usque ad tempus illud restitutionis, ubi conversio ejus sequatur, & unus grex fiat, haud obscure prædicat.

prædicat. Cumque iste severissimi iudicii dies lateat omnes, *Matth. XXIV. 30. ff.* gravissimis argumentis excitare animos studuit, ut solícite caveant ea maxime peccata, quibus in securitatem & negligentiam incidere & perire subito queant, ut commestationes & comotationes, anxiasque hujus vitæ curas; quia mala prædicta obventura & oppressura sint incautos, instar laquei, quo feræ imprudentes capiantur. Ad tanta igitur pericula effugienda opus esse vigiliis & præcibus assiduis; ne secus si fiat, contingat securis, quod acciderit hominibus antediluvianis, in omni voluptatum genere se volutantibus, & nullum monitis locum dantibus, qui aquis celerrime sint submersi. Eadem tempora & fata futura sub suum adventum, nec evasuros, nisi sua monita observaturos. *Matth. XXIV. 29. -- 43. Marc. XIII. 24. -- 34. Luc. XXI. 25. -- 36.*

XI.

Quo autem clarius & efficacius temporum hominumque *Parabola ad vigilantiam excitat.* rationem & statum ante prædictum adventum suum declararet *1. de Patrefamilias.* Optimus Servator, & ad vigilantiam fortius incitaret torpidos *2. de servis.* securosque mortales, variis parabolis usus est, orsus a Patrefamilias ipso, qui, si prudens & cautus sit, omni tempore vigilet, cum horam adventantis furis ignoret. Sic quoque semper paratos esse & vigilare debere Christianos, cum adfuturus sit Filius hominis eo temporis articulo, quem nesciant. Deinde (2) ad servos progreditur, a cœlesti Patrefamilias domui suæ, id est, Ecclesiæ, præfectos, & fidelium pariter ac vigilantium, & infidelium securorumque notas ponit: illis amplissima præmia promittit, his diras pœnas comminatur. In illis laudat fidem & prudentiam; in his culpam Epicuræam securitatem & tyrannidem super gregem Domini & conservos, quæ jam amplius 600. annis horribiliter grassata est, ut tam longo tempore impotentis dominatus sui *Antichristus* confirmatus bene possit dicere: *Χριστός ὁ Κύριος*, differt Dominus; sicut ille sui regni præscriptionem jactando revera facit. In hanc sententiam *Flavius*

Matth. in Glossa rectissime, meo iudicio, parabolam exponit: nec dis-
XXV. 1. sentire *H. Grotium* deprehendo in annot. ad h. l. quæ legi omni-
ff. no merentur. *Matth.* XXIV. 44. - 51. *Marc.* XIII. 34.

XII.

3.
De 10.
virgini-
bus.

Hinc (3) alia parabola de decem virginibus indicat aliud
 genus hominum, qui idololatriæ & seculi hujus pollutionibus
 (*Gerhard. Harm. Cap. 163. f. m. 817. a.*) sese renunciaffe, & Chri-
 sto sponfo fide & amore adhærere profitentur, 2. *Pet.* II. 20. dum
 ad eum adducti eique per ministerium verbi aptati sunt, 2. *Cor.*
 XI. 2. ab omnibus, qui sunt extra Ecclesiæ orthodoxæ gremium,
 separantur, pro veris Christianis habentur, vere quoque ad tem-
 pus credunt, & zelum præ se ferunt, (*Luc.* VIII. 13.) gloriantur
 in Christo, ei se vivere putant, quando ab omnibus crassioribus
 peccatis abstinent, & *μὲν φασιν τῆς γνώσεως καὶ ἐνσέβητος* habent, imo
 Christo sponfo obviam euntes quarunt ingredi per angustam
 portam in cælum, (*Luc.* XIII. 24.) hinc verbo & Sacramentis
 utuntur, & persuasi intra se sunt. regnum cælorum ad se perti-
 nere; neque ita facile dignosci possunt ab aliis, qui ob signati
 sunt Spiritu promissionis sancto, *Ephes.* I. 13. 14. Tales hypo-
 critas, licet mixti sint iis, qui in fide & charitate radicati & fun-
 dati sunt, *Ephes.* III. 17. s. salutem quam sperant, obtinere non
 posse pronunciat Salvator, sed quinque virginibus fatuis similes
 eos ait, utpote satis se habere putantes, *Apoc.* III. 17. adeoque
 non providentes sibi de mediis necessariis ac sufficientibus, sed
 secure dormientes, nec salutem cum timore atque tremore fi-
 liali operantes, *Phil.* II. 12. prout fecerunt quinque prudentes
 virgines. Insipientes itaque, torpentes, ac tardius venientes pre-
 clude excludi affirmat Christus, & consuetam excitandi formu-
 lam denuo subjungit. *Matth.* XXV. 1. 14. *Conf.* *Ebr.* III. 6. 14.
IV. 1. - 12. ubi Apostolus idem inculcare videtur, quod Christus
 hac parabola significavit.

XIII. Tan-

XIII.

Tandem (4) apologo de diversis servis, quibus Dominus *Matth.*
 peregre abiens pecunias divisit, ut mercatura eas auferent, mo- *XXV. 14.*
 net, ne quis gratiam DEI accipiat *εις κερδῶν*, sed potius operosam *¶*
 fidem demonstrare annitatur, ac propterea dono fit utatur, of- *4.*
 ficioque demandato ita fungatur, ut multum spiritualis lucri *de talentis a ser-*
 acquirat; cum quilibet rationem reddere debeat DEO bono- *vis recte*
 rum, sive multa sive pauca ei concredita fuerint; omnia enim *admini-*
 collata gratiose *πρὸς τὸ συμφέρον κοινῶν*. 1. Cor. XII. 7. ut quisque *strandis.*
 quemadmodum dotatus est munere, id alii in alios dispensent,
 tanquam boni oeconomi varia DEI gratia, 1. Pet. IV. 10. s. ne,
 secus si quis faciat, & somnolentus, vel negligens deprehenda-
 tur, iuste puniatur, nullo excusationi loco relicto. *Matth.*
 XXV. 14. -- 31. *Conf. Luc. XIX. 11. seqq. & vid. supr. pag. 861.*
 ubi similis fere apologus, non tamen idem habetur, ut prolixè
 docet *Gerhardus Harm. Cap. 164. p. 839. ff.*

XIV.

Cum hunc in modum Christus ad secundam quæstionem *ad Q.*
 ab Apostolis in monte propositam respondisset, ad ultimam *de fine*
 tandem progreditur, de *συντελείᾳ τῆς αἰῶνος*, consummatione secu- *mundi.*
 li, (*Matth. XXIV. 3. §. VIII. p. 95.*) & per illustrem quandam *judicio*
 hypotyposin, aut prosopopœiam, vel ut humanis quibusdam co- *extremo*
 loribus, ad nostrum scilicet captum se attemperando, depingit *Resp.*
 novissimum suum adventum & extremum iudicium, ejusque *Christus.*
 processum, ut tanto magis a nobis intelligatur, & tum pios con-
 soletur, tum impios perterrefaciat, omnesque ad ardentissimum
 veræ pietatis studium vigilantiamq; toties graviter inculcatam,
 permoveat. Primo iudicem nominat *illum hominis filium*, glo-
 ria tamen & majestate divina, tanquam unigeniti a Patre, co-
 ronatum, omnibus angelis sanctis stipatum, & in solio gloriæ in-
 effabilis confidentem describit, ut vel aspectu ejus pii, ipsum fide

Matth. XXV. 31. & spe pleni expectantes, latentur, impii autem, eum con-
 f. temnentes, terreantur. Deinde omnes omnium gentium ho-
 mines, cum mortuos subito excitatos, tum vivos celerrime
 translatos, coram iudice, nolentes volentes sistendos, sepa-
 randos & secundum opera, ceu fidei vel incredulitatis testi-
 monia & effecta, clara voce iudicandos ita docet, ut collauda-
 tis piorum ad dextram stantium operibus, eos benedictionis
 Abrahamo & cunctis fidelibus promissa, frui, hæreditatem &
 regnum a se paratum jam adire & æternum possidere; im-
 pios autem & incredulos, qui nullis bonis operibus fidem de-
 monstrarunt, maledictos a se in ignem æternum discedere ju-
 beat. *Matth. XXV. 31. - 46.*

XV.

*Scopus
 & fructus
 doctrina
 a Christo
 hucusque
 tradita.*

Hæc JESUS ad quæstiones ab Apostolis propositas re-
 spondebat: sicque non eos tantum, sed & nos omnes erudit
 de temporibus & tum & longe post futuris, usque ad consum-
 mationem hujus mundi, ne incautos & securos iudicii dies
 nos opprimat. Solebat autem interdum in Templo populum
 docere, nocte vero in monte oliveti aut in vicinia agebat,
 orandi causa; ostendens suo exemplo, preces cum *ἔργῳ τῆς πίστεως*,
 operosa fide, laboriosa dilectione & patienti spe (1. Thes. I. 3)
 conjunctas esse debere, si quis cum Sponso ingredi in regnum
 cœleste eoque frui velit. Populus etiam summo mane in
 Templo frequens aderat expectabatque eum auditorus. Un-
 de apparet, fructu non caruisse monitum illud omnibus da-
 tum & iterato inculcatum, *γεννησθε*, (Marc. XIII. 35. 36. 37.) &
 tot similitudinibus declaratum. *Luc. XXI. 27. 28.*

XVI.

*Græcos se
 videre vo-
 lentes in-
 fruit, &
 de sua ac
 suorum
 cruce,*

Cum vero Dominus eos sermones, quos antea memo-
 ravimus, haberet, accidit, ut quidam Græci, veri Dei timen-
 tes, Hierosolymam tempore Paschalis festi conferre se soliti,
 in subdiali gentium Templi DEUM adoratum, postquam
 multa

multa de JESU audiverant, Philippum Bethsaidensem, forte *Matth.*
 notum, convenirent, orarentque, ut ejus opera JESUM vide- *XXX. 16. f.*
 rent audirentque: qui re cum fratre Andrea, utpote ordi- *gloriaque*
 ne priore, & Domino familiariore, communicata, id JESU *multa*
 renunciat, ac tale responsum, ab eo accipit, ex quo satis intelli- *prædicat.*
 gi poterat, eum non obstare, quo minus Ethnici ad se accede-
 rent; quia tamen noverat, eos perinde ac Judæos opinione de
 terrestri regno per Messiam erigendo, imbutos esse, & hu-
 militate sua offendi, jussit ipsis dici, instare tempus, quo ad sum-
 mum gloriæ apicem extolli oporteat filium istum hominis, ut,
 qualis quantusque sit, non Judæi tantum sed & Ethnici suo tem-
 pore agnoscant; verum non alia via sibi ad eum eundum, quam
 per mortem, quæ fructuosa omnibus futura sit, instar grani
 triticei, nullos proferenti fructus, nisi terræ committatur &
 moriatur. Joh. XII. 20. -- 25. Ostendit simul, ministros &
 discipulos suos per crucem sibi conformari oportere, si gloriæ
 quoque participes fieri velint, *ψ. 25. 26. Conf. Matth. X. 39.*
XVI. 25. Rom. VIII. 17. 2. Tim. II. 11 f. Hac profunda co-
 gitatione mortis imminentis JESUS ita perturbatus fuit subito,
 ut sentiens in anima aliquos insultus diaboli simul & onus pec-
 catorum iræque divinæ, toto corpore contremisceret, in quibus
 terroribus ad Patrem cœlestem conversus liberationem ab eo
 petit & glorificationem nominis ipsius, per generis humani red-
 emtionem & restitutionem à se perficiendam. Audita protin-
 us fuit vox cœlitus Patris, se jam glorificasse doctrina & mi-
 raculis, & per illum ipsum agonem securamque mortem, re-
 surrectionem, missionem Spiritus S. &c. in glorificando se per-
 recturum. Disceptantibus super ea turbis, JESUS aperte di-
 xit, propter eas vocem illam factam esse, ut inde intelligerent,
 quantè se Pater faceret, & quam gloriosa per se efficere velit;
 mundum judicando & Satanam expellendo per crucifixionem
 & mortem victoriam, (conf. Joh. III. 14.) & trahendo ad se
 suos

Joh. XII.
17. f.

suos. Quæ cum repugnare æternitati regni Messia in Scripturis celebrata objicerent, ea denuo confirmavit JESUS, & brevi eventura dixit, hortatusque est omnes, ut a se, vera luce, illuminari ad fidem sinant maturrime, ne in tenebris oberrantes perirent. (vid Joh. VIII. 12.) His frustra inculcatis, se tandem subduxit, cum tantis sermonibus & miraculis plerique Jemoverentur; sicque evenit, quod dudum vaticino spiritu Jesaias conquestus est de populi Judaici incredulitate & cecitate horrenda, iis in locis, ubi testatur quoque de gloria Christi divina, cap. VI. 9. LIII. 1. seqq. conf. Matth. XIII. 14. f. At tamen ex principibus multi fidem ipsi adhibuerunt, sed profiteri propalam non audebant, metuentes proscriptionem, & humanam magis quam divinam gloriam spectantes. Mirum vero & dolendum est, quod non omnes in Jesum crediderint, cum publice omnes invitaverit ad fidem in se, argumentis gravissimis ab utili & damno petitis. Joh. XII. 27. - 50.

XVII.

Consulta-
tio proce-
rum de
capiendo
JESU &
unctio
Christi.

Postquam vero JESUS omnes eos sermones, quos antea memoravimus, absolvit, ac Paschatos ^{sanguinis} festum appropinquavit, denuo discipulis mortem suam prædixit, eosque præparavit adversus scandalum inde concipiendum, cum Judæi eodem die de illo fraudulenter capiendo & necando rursus in ædibus Caiphæ consultarent, sed non consultum putarent tantum facinus tum aggredi, ne tumultus fieret in populo frequente & JESU adhærente. Accidit autem, ut cum in ædibus Simonis Bethaniæ Dominus inungeretur pretioso unguento, idque indigne discipuli ac inprimis Judas (Joh. XII. 1. ff.) ferrent, JESUSque obmurmurantes eos castigaret, & officiosam pietatem mulieris defenderet ac dilaudaret, Judas repetita hac Magistri sui reprehensione offensus, spe lucri, quod periisse sibi profusione unguenti putabat, Cacodæmonis instinctu, sine mora adiit Principes Sacerdotum, quorum sanguino-

guinolenta consilia haud ignorabat, ac proditurum se illis JESU *Matth.*
 sum pollicitus est; qui hac occasione lati triginta siclos ei pol- *XXX.*
 licebantur. *Matth. XXVI. 1. -- 16. Marc. XIV. 1. -- 12. 1. ss.*
Luc. XXII. 1. -- 7.

XVIII.

Judas igitur ab eo tempore opportunitatem quasivit, quomodo sine tumultu proditionem effectam dare posset, nihil moratus Domini fidelissimam admonitionem, hoc ipso die, cum cœnaret apud Simonem, ei datam. Nam conscius JESUS adeste horam, qua ex hoc mundo ad Patrem abiturus esset, exantlata morte, discipulos, quos ad finem usque amabat, vinculo charitatis & humilitatis constricturus, inter cœnandum surrexit, & deposita exteriori veste, pro more ministrantium linteo præinctus pedes lavit discipulorum omnium, Petroque, Domino servile hoc munus minime dignum reputanti eoque renuenti, respondit, se monere hac ablutione cunctos, omnes peccatorum sordes, & vitiorum reliquias exuendas esse, si beatitudinem æternam consequi velint, & dicendo pueros illos quidem esse, sed non omnes, proditorium Judæ animum satis significavit, ejus conscientiam vellicavit, moxque exponendo causas, cur tale quid susceperit, proditoris fraudem detexit apertius, ac evenisse sibi ostendit, quod *Ps. XLI. 10.* prædictum sit & a se nunc prædicatur; ut vel inde cognoscerent Apostoli, se eum esse, quem hæcenus crediderint, & fortiter muneribus demandatis fungerentur, promissionibus pridem datis freti. Quibus prolatis, imminentium factorum recordatione vehementius etiam commoveri cœpit, & palam asseveravit, fore, ut unus Apostolorum se proderet, ac sollicitis omnibus, quisnam usque adeo sceleratus esset futurus, Petrus Johanni in gremio JESU jacenti innuit, ut autorem exploraret, quem ei Dominus quoque in aurem dixit, nempe

Judas a JESU post pedilavium semel iterumque monitus proditorium retinuit.

pe



Joh. XIII. pe cui panem intinctum porrecturus esset, ac simul Judæ Isca-
riotæ panem porrexit his verbis additis: quod factururus es, fac
cito; vel resipisce, vel patra, quod diabolus suggestit. Nemo ta-
men accumbentium ista verba intellexit; Judas autem a Satana
agitatus, continuo egressus est. cum dudum nox esset. Quo
egresso JESUS iterum de glorificatione sua (*Joh. XII. 28. ff.*) &
abitu ad Patrem instante locutus est, & mandatum de dilectio-
ne mutua denuo Apostolis inculcavit, Petroque quærenti;
quo iturus esset, & protestanti, se cum secuturum, regessit,
ipsum nunc se sequi haud posse, sed aliquando secuturum, imo
ter se abnegaturum, ante quam gallus cecinerit. *Joh. XIII. tot.*

XIX.

*JESUS di-
scipulos ob
abitu
conster-
natos eri-
git, fide &
spe man-
sionis cœ-
lestis,
quærentes
informatur
de via ad
Patrem,
& am-
plissima
illis pro-
mittit
premia.*

Superioribus Domini sermonibus discipuli vehementer
perturbati sunt; Christus autem eos erexit, omnemque fidu-
ciam in DEUM & se collocare, ac certos esse jussit de mansio-
nibus in Patris cœlestis domo, quas abitu suo parare & quo re-
cipere suos velit, ut perpetuo secum sint. Quibus de mysteriis
cum satis eos ab se edoctos diceret, Thomas ingenue suam pro-
fessus ignorantiam, & institutus clarius est, ut & Philippus, mon-
strari sibi Patrem petens; utrisque enim respondit, se & viam
ad Patrem & Patris vivum expressumque characterem & *quod*
viam illi esse, vel operibus divinis hoc ipsum attestantibus. Me-
rito igitur fidem sibi adhiberi asserit, ac in se credentibus pro-
mittit *δαπάνην*, exauditionem in omnibus, quæ petierint
in suo nomine, paraclitum alium a Patre dandum, imo se ipsum
rediturum, & servantibus sua præcepta intimius manifestaturum,
& cum Patre mansionem perpetuam apud eos facturum,
Spiritus S. porro omnia docturum & in memoriam revocaturum,
quæ vel oblivio vel mœror subduxerit: pacem suam de-
nique illis legat firmam & æternam; ut ita nil habeant, quod
de suo ad Patrem abitu tristentur, sed quod latentur potius.
Hæcque

Hæcque ideo se prædixisse, antequam contingant, ut, cum evenerint, magis magisque sibi confidant, cætera quoque omnia vere futura. Sponte igitur se morti obviam ire & facere omnia ea, quæ & Patris voluntas & hominum salus exposcat. Joh. XIV. tot.

XX.

Animis Apostolorum hunc in modum firmatis, eos monuit, ut secum Bethania Hierosolymam irent. Postero itaque die (viridium) qui primus erat azymorum, in quo ex lege mandatum erat oportebat paschales agnos, quæsierunt ab eo discipuli, ubi vellet parari solennem gentis Cœnam; Ille Petro atque Johanni negotium committens mandavit, ut urbem ingressi sequerentur hominem, hydriam aqua plenam ferentem, & Domino ædium hoc propositum renunciarent, prædixitque fore, ut is illico cœnaculum amplum, ubi celebrari cœna paschalis posset, ostenderet. Inveniunt missi, prout JESUS prædixerat, & agnum parant. JESUS itaque cum discipulis cæteris subsecutus hora consueta venit, & una cum iis omnibus mensæ accubuit, testatusque est summum suum desiderium celebrandi istam cœnam festivam, antequam moreretur, & typum agni illius impleret. Hinc iterum proditoris, qui secum cœnaret, mentionem iniecit, ac tristibus sollicitisque Apostolis, eoque quærentibus singulis, an se intelligeret, denuo affirmavit, hoc scelus unum Apostolorum patraturum, sed una addidit, gravissimas pœnas sibi contracturum proditorem, ac tandem Judæ sciscitanti, num se designaret, hoc ei confirmavit. Post comestum & abrogatum ita agnum Paschalem, qui eum quoque in finem institutus erat, ut æternam liberationem per Messiam futuram adumbraret, aliud Sacramentum & memoriale longe insignius amoris beneficiorumque suorum apud populum Christianum statuit, dum suum corpus & sanguinem, tanquam salutarem animæ cibum atque potum & viaticum cœlesti fidelibus

*Agnus
Paschal.
prepara-
tum edit,
Prodito-
rem indi-
cat, S.
Cœnam
instituit.*

Matth.
XXVI.
17. ff.

libus concessit ac instituit, ut per mare hujus mundi inquietum in patriam cœlestem feliciter pervenire queant. Simulque Testamentum condidit, ac nos ante mortem hæredes scripsit, ut post ipsius mortem recordari amplissimorum honorum, quæ nobis legavit, ac frui illis in tota vita, inque hora mortis, & post, per secula nunquam terminanda possimus. Matth. XXVI. 17. -- 29. Marc. XIV. 12. -- 25. Luc. XXII. 7. -- 24.

XXI.

Contentionem
Apost. de
primatu
castigat &
Petri auctoritatem.

Cum vero JESUS post institutam S. Cœnam subjecisset, se posthac non bibiturum de vitis germine usque ad illum diem, quo novum bibat in regno Patris sui cum discipulis, Matth. XXVI. 29. Marc. XIV. 25. hi, non intelligentes verba Magistri, & nondum excussa prorsus opinione de terreno Messia regno, disceptare inter se cœperunt acriter de prima honoris sede in isto regno, cui ea debeatur. Qua contentione animadversa JESUS eos iterum, ut antea fecerat (Cap. VI. §. 36. p. 35.) castigavit, diversitatem procerum in regno mundano & discipulorum suorum monstravit, eosque ad humilitatem suo exemplo revocavit, ac longe majus regnum pacto se addicere majoremque in regno suo dignitatem constantibus sectatoribus suis in tentationibus gravissimis imminentibus, promisit, quam Reges Principesque in terra habent, nimirum, quod cœlestis regni convivas & potestatis suæ participes eos reddere velit, ut in duodecim solis sedeant, ac duodecim tribus Israël secum judicent. Ne tamen hinc vel securitatis, vel timiditatis occasione capterent Apostoli, contra utramque eos præmunivit Salvator, ac primo quidem ad Petrum cæteris animosior se convertit, & ad eum dixit, Satanam a DEO petiisse licentiam eorum constantiam gravissima tentatione experiendi; se tamen DEUM orasse, ne fides ejus (aliorumque) deficiat finaliter, eundemque monet, ut conversus aliquando fratres suos fidei constantis exemplo

exemplo confirmet: & Petro miranti, cur ita de se loqueretur *Luc. XXII. 24.*
 Dominus, & paratum se jactitanti vel ad mortem ipsam cum se-
 qui, JESUS lapsum rursus ei prædicit sui que abnegationem, *f.*
 Hacque occasione omnes de instanti periculo admonet, & alia
 imminere tempora, ac antea experti fuerint, signis contrariis
 indicat, quibus victu & armis instrui necesse sit; jamjam enim
 finem acceptura ea, quæ vates ac nominatim Jesaias C. LIII.
 de passione & morte sua ignominiosa prænunderint. Ad
 quæ cum Apostoli responderent, dicta Magistri non satis capi-
 entes, in promptu sibi esse duos gladios, abrumpit Dominus ser-
 monem satisque de his dictum innuit, ac eventui rerum permit-
 tit explicare eorum intelligentiam, (Theophyl.) *Luc. XXII. 24. -- 39.*

XXII.

Interea JESUS, quod maxime necessarium & utile vide-
 bat Apostolis, sollicitè curabat, eosque proluxa oratione exci-
 tabat ad constantiam in fide, præmissa insigni promissione,
 quod, licet ad Patrem suum per mortem vadat, nihilominus
 & efficacissime iis unitus maneat, instar vitis palmitibus conjunctæ,
 & efficax in iis esse velit, ad omnis generis fructus salutare pro-
 ducendos, & perpeffiones sustinendas. Hinc variis argumen-
 tis utitur, ad perseverantiam in fide & charitate erga se eos in-
 ducentibus, desumptis a necessitate & utilitate multiplici, si id
 fecerint, damno autem, si neglexerint, a fine vocationis &c.
 Inprimis vero præceptum de dilectione sui & mutua discipulo-
 rum sedulo inculcat, suo proposito exemplo, & demonstrari eam
 vult observatione mandatorum suorum; unde constet, quod
 vere sui sint discipuli & familiares, quibus revelaverit arcana
 Patris, quos elegerit ad fidem & Apostolatam. Cumque hac
 ratione Apostolos odium mundi in se derivare præsciverit Sal-
 vator, contra hoc etiam fortiter eos munit, sui ipsius exemplo,
 discipulorum suorum testiumque veritatis conditione, mundi
 sibi

*Apostolos
 ad con-
 stantiam
 excitat,
 & contra
 odium
 mundi
 firmat.*

Joh. XVI. sibi suisque adversi malitia; incredulitate & ignorantia inexcusabili, (*Joh. XV. tot.*) quæ eo usque procedat, ut hostes eorum zelo proscripturi & interfecturi sint martyres fideles, Spiritu S. inflatos. Quæ omnia Christus ait ideo se prædixisse, ne offendantur aut terreantur confessores, si tantæ calamitates sustinentur occurrant, *Joh. XVI.* ac non adeo clare ab initio exposuisse, quia præsens discipulis fuisset, nunc autem discessurum aperuisse; nec tamen propterea eos tristes esse debere, quum ipsis maxime expediat, ut discedat, quoniam nisi id fieret, paraclētus non veniret, cum vero submissurum se profecturum, qui mundum perversum convicturus de peccato incredulitatis, de justitia vera, abitu suo comparata, deque judicio in principem mundi statuto: ipsos autem Apostolos docturos ducturusque sit in omnem veritatem divinam, quam hucusque traditam capere prorsus nequiverint, etiam futurarum rerum, atque sic se etiam mirifice illustraturus, cum & essentiam, & potentiam scientiamque divinam a Patre & se acceperit; adeoque id omne facere possit ac velit. Pollicetur insuper latissimam catastrophe brevis tristitiæ in gaudium perpetuum, eamque declaratione suo factis exaudiendis, & clara perfectaque sui ipsius revelatione impetranda a Patre luminum, qui ipsos amet, cum se aditum suum ad Patrem. Denique repetit repullos, ut in fide confirmati ac propterea a Christo laudati fuerint, licet offendiculum mox passuros prædixerit, eosque revocaverit ad prædictorum recordationem, & pacem in se habituros promiserit, si in se manserint, ceu vite vera, cum vicerit mundum, & sua virtute cum quoque victuri sint ipsi. *Joh. XVI. tot.*

XXIII.

His dictis opus redemptionis consummaturus, ad preces arden-

*Orat.
R. pro*

ardentes tanquam Pontifex noster, conversus, I. DEO Patri *Joh. XVII.*
 illud ipsum commendat, & mutuam sui Patrisque glorificatio- *mutua*
 nem petit, ob salutem hominum, cum sibi data potestas sit o- *sua Pa-*
 mnis carnis, acquirendi & dandi vitam aternam per cognitio- *tris que*
 nem salutarem ex verbo Evangelii, quod hactenus manifesta- *glorifica-*
 verit, miraculis confirmaverit, ac discipulis præsertim suis non *z. pro*
 sine fructu instillaverit; pro his igitur II. oravit, utpote sibi *Apostolo-*
 peculiariter traditis, & fidelibus, ut, licet graviter lapsuri sint *rum con-*
 tempore passionis instantis, non tamen pereant, sed e lapsu eri- *servatio-*
 gantur, in veritate cœlesti fide & spe confirmentur ac conser- *ne,*
 ventur, contra odium mundi, donis demum Spiritus S. conse- *3. pro*
 crentur ad perficiendum rite munus Apostolicum. III. Oravit *omnium*
 etiam pro omnibus, qui per verbum, ab Apostolis in toto orbe *creden-*
 propagandum, credituri erant, usque ad consummationem se- *tium sal-*
 culi, ut omnes unum sint in fide ac *κoinωνίᾳ* cum Patre & Filio *lute.*
 (conf. 1. Joh. I. 3.) & consummati in unum, tandemque perpetuo
 fruantur gloria sua, ineffabili charitate connexi, nullis neque
 sublimitatibus, neque profunditatibus, neque seculorum
 seculis ab ea divellendi. Joh. XVII. tot.

XXIV.

Finitis hisce sermonibus & precibus, hymnum Eucharisticum, *Post Hal-*
lel. urbe
exit, di-
scipulis
scanda-
lum &
Petro ab-
negatio-
nem præ-
dicat.
 Hallel propterea Judæis dictum, ejusque partem posteriorem, pro recepto more (Ps. CXVIII.) Dominus cum discipulis decantavit, moxque ea nocte exivit & domo & urbe, ac prout consueverat, in montem olivarum se recepit, per torrentem Kedron, (Matth. XXVI. 30. Luc. XXII. 39. Joh. XVIII. 1.) comitantibus ipsum undecim Apostolis, ad hortum. Inter eundem vero prædicat eis fore, ut ea ipse nocte omnes illi in se offendantur, ac dispergantur, cum percussum viderint, prout Zacharias vaticinatus sit XIII. 7. promittit tamen, se, cum surrexerit, præcessurum eos in Galilaam. Petro autem temerario

Matth. rario ausu excipienti, se nunquam deserturum Magistrum,
XXVI. & mortem citius obiturum, confirmat jam tertia vice (Joh.
30. ff. XIII. 35. 38. Luc. XXII. 31. 34.) fore, ut se ter abnegaturus sit.
 Reliqui discipuli, Petro in constantia inferiores videri nolentes,
 similiter uno ore polliciti sunt, se Domino adhaeruros ad
 mortem usque. *Matth.* XXVI. 30. -- 37. *Marc.* XIV. 26. -- 32.

XXV.

Patitur Ubi ventum est ad hortum juxta praedium *Gethsemane*,
Christus circa horam nonam noctis, JESUS relictis in horti limine octo
in horto, Apostolis, eoque ibidem reditum suum praestolari, & ne in ten-
orat, san- tationem caderent, orare jussis, Petrum duosque Zebedaei filios
guinem assumit, futuros acerbissimae passionis durissimique certaminis
sudat & testes & spectatores, ut ante fuerant divinae Majestatis & gloriae,
ab Angelo (Matth. XVII. 1. ff.) cum quibus nonnihil progressus cepit ve-
conforta- hementissime tristitia, timore ac terrore commoveri & expa-
tus, capi- vescere, ob mala mox subeunda, iisque dicere, animum suum
tur, vin- mœrore undiquaque obsessum & circumvallatum esse, ut pa-
Elus ad rum a dira morte absit. Mox avulsus ab eis, ferme ad jactum
Pontif. lapidis, in genua vultumque pronus concidit, & Patrem ora-
M. duci- vit, ut, si fieri & alia ratione, quam passione & morte sua, con-
ent. sulum humano generi Deoque satisfieri posset, ab ea liberaretur;
 quia vero noverat, decretum divinum id non permittere, in su-
 prema voluntate acquiescere, & voluntatem complacentiae hu-
 manae naturalis illi subicere se promte, significavit. Post ad
 tres discipulos rediens, eosque dormientes inveniens, ad vigi-
 liam & preces hortatus est, cum infirmitati ipsorum carni gra-
 vissima immineat tentatio, robore spiritus, per preces impetran-
 do, vincenda. Sed digressus ab illis, & repetitis prioribus pre-
 cibus, rediens, denuo eos dormientes offendit, eoque nomine
 castigavit; nihil tamen profecit. Itaque relictis iis tertium se-
 cessit, intensiusque oravit in gravissimo certamine cum ira DEI
 & potestate tenebrarum constiturus; adeo ut geumi sanguinei
 sudoris

sudoris defluerent in terram, & Angelus e cælo submissus animum & corpus ejus confirmaverit in tam profunda ^{Matth.} ^{XXVI, 39.} ^{κρίσεως} ad sufferenda passionis tormina. (Luc. XXII. 43. 44.) Collecto ita acceptoque robore, & proditori & morti obviam ivit intrepide, & ad discipulos adhuc dormientes reversus, eos surgere & ire secum jussit, in occursum proditori, qui, hæc dicente JESU, cum armata manu aderat, osculo Dominum prodens, quem ubi allocutus, & se esse palam professus est JESUS, quem quærent, omnes protinus, pavore divinitus immisso, humi conciderunt: neque ille fugam, ut poterat, capessivit, sed repetita quæstione impetrataque discipulorum immunitate. (Joh. XVIII. 2. - 10.) hostibus se sponte comprehendendum obtulit. Quod ubi viderunt Apostoli, duo ex illis gladio instructi quæsierunt a JESU, num propulsare injuriam liceret, & Petrus, non expectato Magistri responso, aurem amputavit Pontificis M. servo; eum autem JESUS objurgavit & subito jussit recondere gladium in vaginam, & commonuit, se, si necesse foret, vel XII. ac plures Angelorum legiones a Patre cœlesti accipere posse ac repellendam vim; at Scripturas de sua morte esse implendas: tangensque Malchi auriculam ex templo restituit, & se capturis exprobravit, quod se quasi latronem aggrediantur nunc, quem quotidie in Templo impune docere permiserint, nec comprehendere potuerint; adventasse autem jam tempus, quo DEUS ipsis & Principi tenebrarum potestatem fecerit, consilia cruenta exsequendi, ut Scripturæ implerentur, talia prædicentes. His dictis discipuli sibi timentes, fugere ceperunt, quos adolescens aliquis constantia superavit, non ante fugiens, quam a militibus esset captus, relicta in eorum manu sindone; militaris autem manus JESUM vinctum primum deduxit ad ædes Annæ, qui socer erat Caiphæ, & Pontificatum eo anno gerebat, ac antea, cum in Synedrio ageretur de JESU, dixerat, expeditur unum hominem mori pro populo (Joh. XVIII. 13. 14. Vid.

Vid.

Matth. Vid. supr. pag. 87.) Annas vero amandavit Dominum ad Caja-
XXVI. 58. pham, apud quem Synedri convenerunt, & JESUM a vide ex-
ff. spectarunt. *Matth.* XXVI. 37. -- 58, *Marc.* XIV. 32. -- 54. *Luc.*
 XXII. 40. -- 54. *Joh.* XIIX. 2. -- 15.

XXVI.

Petrus
tentatur,
Jesu exami-
natur,
& accu-
satur, a
Petro ab-
negatur.

Interea Petrus, & alius quidam discipulus, JESUM cominus sequebatur ad ædes usque Pontificis M. hicque tanquam notus in atrium admissus Simoni etiam introeundi veniam a janitrice impetravit, (*Joh.* XIIX. 15. 16.) Cum vero propter nocturnum frigus in aula ignis accensus esset, Petrus ministris Pontificis se miscens una cum eis adfedit, se calefecit, & quem tandem exitum res habitura esset, quæ cum Magistro agebatur, speculatus est. Latere tamen non potuit; siquidem janitrix eum tentavit, & ad pyram accedens illumque attentius intuens prodidit, & affirmavit, ipsum ex discipulorum JESU numero esse; sedis hoc aperte negavit. JESUS autem in conclave deductus a Pontifice M, primo rogatur de doctrina & discipulis, atque ita haud obscure accusabatur, quod privato ausu scholas instituisset, unitatem Ecclesiæ scidisset, & falsa dogmata disseminasset. Ad quæ libere respondit, se palam & publice docuisse, in omnibus fere Judææ Synagogis, & in Templo; auditores itaque de doctrina sua ejusque capitibus interrogandos esse potius, quam se, cui fidem non haberent. Hanc *παρηγοριαν* JESU non tulit quidam propius adstans apparitor, eoque colaphum illi impetit, causatus, minus reverenter Sacerdoti summo esse responsum. At JESUS dilemmate eum constrinxit hocce: si male locutus sum, ostende testimoniis idoneis malum; si bene, cur me in nocentem cædis? (*Joh.* XIIX. 19. -- 24.) His auditis Principes Sacerdotum totusque confessus quærebant anxie testimonia falsa contra JESUM, cum vera non possent invenire, quibus eum capitis accusarent: nec tamen ulla satis idonea reperta fuerunt, licet

licet multi prodirent testes falsi, & varia criminarentur; nam *Matth.*
 ea ne quidem iniquissimis illis iudicibus sufficere videbantur ad *XXVI.*
 condemnandum ipsum: ac ne hoc quidem, quod blasphemiae *58. ff.*
 speciem habere poterat, quando duo edixerunt, se audisse JESUM
 dicentem, quod destruere velit templum manibus hominum
 extructum, & intra triduum aliud excitaturum, sine ulla
 hominum opera. Ad quae JESUS nihil respondit, licet a
 Pontif. M. interrogaretur, cum frivola essent, parumque con-
 sentientia. Ut igitur Pontifex responsum extorqueret, acrius
 instare eumque adjurare per verum DEUM coepit, ut diceret,
 num Messias Filius DEI esset, nec ne? Quod ubi JESUS affir-
 mavit, ne humilitate sua offenderentur, quemadmodum fieri
 a Judæis noverat, ex Prophetis addidit, quae ad statum exalta-
 tionis spectabant. Videbitis, inquit, posthac Filium hominis se-
 dentem ad dextram DEI, gloriae & majestatis divinae consortem,
 venturumq; judicem omnium. Haec, licet verissima essent, Pon-
 tifex blasphema pronunciauit, ac, ut assessores odio in Servatore
 inflamaret, scissione vestium dolorem indignationemve testa-
 tus est, qui facile ei annuentes mortis reum pronunciarunt in-
 fontem, & servandum probe militibus ac ministris reliquerunt,
 qui ei mox illudere coeperunt sputis & colaphis, & capite vesti-
 bus involuto eum percusserunt, ac divinare jusserunt, a quo per-
 cussus esset, quandoquidem Messiam ac proinde etiam Pro-
 phetam se esse, dixisset: multa insuper alla contumeliosa ne-
 quissimi homines illi oggerant. Haec dum in Caiphæ aedibus *Petrus*
 agebantur, Petrus, ut diximus, semel iterumque tentatus ab *PESVA*
 ostiaria Sacerdotis M. prima vice Dominum suum verbis abne- *ter abne-*
 gavit; territus tamen, nec satis loco fidens, exire ex atrio vult, *gat &*
 sed dum exitum parat, alia ipsum conspicata ancilla circumstan- *pa nitot.*
 tibus dixit, illum JESU Nazareni sectatorem esse; a qua suspi-
 cione se purgaturus retrocessus est, & denuo ministris pyræ assi-
 dentibus immixtus se calefecit, qui quaestionibus & sollicitatio-
 nibus

Matth. *XXVI. 69.*
f. nibus eum aggressi sunt; at ille rursus inficiatus est cum iurare jurando. Interim post elapsam circiter horam magis Petrum urgere omninoque eum esse ex discipulis JESU asseverarunt, atque id etiam ex idiomate Galilæorum cognosci; in primis unus e Pontificis M. servis, cognatus Malchi, cui Petrus auriculam amputaverat, contra ipsum insurrexit, asserens, se suismet oculis eum in horto vidisse. Hisce indiciis pressus non cessit, sed crimen quoque auxit, & diris devovere se cœpit, si JESUM nosset. Vix hæc dicere absolverat Petrus, cum gallus secundum cecinit, & JESUS, qui soluto concilio post examen & decretum factum in atrio inter custodes agebat, id eum conversus, tacito sed efficaci aspectu scelus admissum ipsi exprobravit; illico enim monitoriorum Magistrorum verborum recordatus, protinus abiit, amarisque lachrymis delictum deflevit. Interea milites & custodes, ut tempus nocturnum fallerent, & somnum oculis excuterent, usque ad diem illucescentem illusionibus, percusionibus & blasphemis JESUM divexarunt. *Matth. XXVI. 58. - 75. Marc. XIV. 54. -- 65. Luc. XXII. 54. -- 66. Joh. XVIII. 17. -- 28.*

XXVII.

Jesu
in Syn-
drio exa-
minatim. Cum appeteret dies, jam legitimi Concilii formam exhibituri, iterum frequentes conveniunt Primores Sacerdotum, Scribæ & Presbyteri, totumque adeo Synedrium, accitoque JESU denuo eum interrogaverunt, an esset promissus ille Messias? JESUS, autem sciens, illos non ideo sciscitari, ut veritatem discerent & acciperent, sed ut occasionem calumniandi & damnandi captarent, respondit, se, etiamsi aperte palamque quod res sit, diceret, tamen fidem apud iniquos judices haut reperturum, nec absolutum dimissumque iri. Interim repetiit illa, quæ in concilio nocturno dixerat, Filium hominis deinceps fessurum ad dexteram potentiae DEI. Hæc vox visa omnibus fuit satis idonea accusandi causa, si modo profiteretur JESUS ipse

ipse sese Filium DEI. Quærunt igitur: tunc ergo es Filius ille DEI? Quod JESUS denuo affirmare, ceu fidus confessor, non renuit. Ingenuam hanc confessionem illi fat gravem causam judicabant, cur eum blasphemiam, quo nullum crimen atrocius apud Judæos erat, reum agerent & condemnarent: inque hanc sententiam facile pedibus itum est ab omnibus, qui quocunq; titulo decreverant occidere infentem; adeoq; reperto, ut visum ipsis erat, crimine, dispexerunt, quomodo decretoriam sententiam exsequerentur, ac proinde decreverunt vinctum mittere JESUM Romano Præfidi trucidandum. Matth. XXVII. 1. Marc. XV. 1. Luc. XXII. 66. -- 71.

Matth.
XXVII. 1.

XXVIII.

Non potuit latere Judam, quomodo Christus, jam morti a Synedrio addictus, ducendus ad Pilatum esset, qui crucis supplicium in eum decerneret, quum confluenti turbæ immixtus gesta audiret videretque. Conscientiæ igitur stimulis agitatus prodit in Concilium proditor, scelus commissum dolet, & in conspectu omnium fatetur, se tradendo Magistrum in manus eorum, qui de sanguine innoxio ipsius effundendo, sine ulla justa causa, deliberassent, gravissime peccasse, ac eo nomine retulit 30. argenteos. Verum surdas pulsabat mentes & aures Synedrorum, qui indurati & excæcati testimonium innocentiam Salvatoris a Juda traditum non attenderunt, sed in damnata sua sententia persistenterunt; nec, ut debebant, proditorem poenitentem receperunt, aut docuerunt, quomodo effugere desperationem & consequi veniam a DEO posset; ei enim responderunt prorsus diabolice: nil sua referre, nocentemne prodiderit JESUM, an innocentem; neque sibi aliquid imputandum esse, verum culpam omnem redundare in proditorem. Judas igitur, ut vidit, iudices iniquos nolle aut se aut pecuniam recipere, ut se tam impio auctoramento levaret, argenteos in templum projecit, & suspensio vitam finiit, sicque infelix corpus

Jude poenitentia
sua &
interitum.

Matth.
XXVII. 2.
f. pus & animam perdidit, dum Salvatorem prodidit & salutem in consilio, ut par erat, non habuit. Pontifices autem post festum Paschatos peractum, nefas esse ducentes, numos in templi fiscum referre, capto consilio, emerunt eis agrum figuli, ad peregrinorum sepulturam, qui propterea vocatus est vernaculo tum sermone *Hakeldama*, h. e. ager sanguinis, (vid. Actor. I. 19.) & posteris nefandum facinus, a Pontificibus perpetratum, omni tuba clarius, in hodiernum usque diem prodit: sicque impletum est, quod ex parte Jeremias Cap. XXXII. 9. & dilucidius Zacharias Cap. XI. 12. 13. prædixit olim hac ipsa de emptione. *Matth. XXVII. 2. . 11.*

XXIX.

Ad Pila-
sum JE-
sus ductus
examina-
tur & in-
nocens
declara-
tur.

Matutino igitur tempore JESUM vinctum Judæi cum solenni pompa duxerunt ad Pilatum, non tamen ingressi sunt in prætorium, ne polluerentur, ut fieri putabant impuri homines, si Ethnici hominis limina intrarent, ac proinde paschalis agni comestione excluderentur. Monitus ea de re Pilatus, cum justam causam habuisset eos vicissim fastidiendi, aut in aliud saltè tempus rejiciendi, cessit illorum vel superstitioni, vel pertinaciz, & ad eos egressus capita accusationis prius proferri flagitat, quod Romanis moribus accusatio cognitionem præcedere deberet. At criminatores satis arroganter Pilato, qui videbatur suspicari eos perditum cupere innocentem, respondent, se nequaquam ei plectendum tradituros fuisse JESUM, nisi maleficus & facinorosus homo esset. Pilatus par pari relaturus, moridaci ipsos dicitur vellicat, jubens Judæos secundum suam legem judicatum plectere, si quam haberent tam iniquam, ut absque prævia causæ eognitione capitale supplicium alicui irrogandum postulare ausit. Judæi igitur auctoritatem Præsidis reverenti, submissius respondent, se quidem causam jam cognita in foro suo Ecclesiastico judicasse JESUM capitis reum esse; cum vero

vero etiam actio simul forensis sit de seditione, deque crimine laesa majestatis, cujus reum quenquam interficere sibi non amplius liceat, illius arbitrium se Praesidi relinquere Romano.

Matth.
XXVII.
11. ff.

Qua ratione contigit id, quod JESUS praedixerat non semel, de genere mortis, quo tollendus e medio esset a gentibus, (Matth. XX. 18. 19. XXVI. 2. Joh. III. 14. XII. 32.) Joh. XVIII. 28. -33. Cumque animadverterent summi sacerdotes, Praesidi stare sententiam, quod judicium adversus JESUM instituire nollet, nisi gravem & se dignam audiret accusationem, tandem initium faciunt criminationum, ac tria capita comperita se habere dicunt, quod JESUS populum Judaicum ad res novas moliendas concitasset, quod tributa solvi Caesari vetasset, quod denique Regem se Judaeorum dicitasset. Nihil quidem his mendaciis impudentius erat, quum Servator quatrinduo ante de censu rogatus responderet, Caesari reddenda esse, quae Caesaris sunt, Matth. XXII. 21. & regnum ante a Judaeis oblatum fugerit, Joh. VI. 15. Pilatus tamen ea haud parvi momenti ratus, ingreditur praetorium, foris relicta turba, & JESUM privatim ad se accersit, ut absque tumultu, num ita res haberet, ex eo expiscaretur. Et priora quidem duo objecta crimina praeterit, quod putaret primum ad religionem spectare Judaicam, & alterum dogma esse commune Pharisaeorum, de tertio autem capite, quod erat de regno affectato, percontatur JESUM, an esset Rex Judaeorum, qui haecenus populum spe restitutionis lactasset, quae tottantarumque turbarum & motuum feralium causa fuisset. Ad quod JESUS intrepide aperteque respondit, se esse Regem Messiam. Hoc ubi Pilatus renunciavit Judaeis, illi alia protulerunt crimina, quorum JESUM in simulabant; ad quae vero, monente licet Praeside semel iterumque, nil quodquam reposuit, quum conficta & nullius momenti essent, & nil dicere aut facere vellet, quo mortem fugere posset. Quod consilium quia Pilatus ignoravit, admiratus est, (Matth.

XXVII.

P 3

Joh. XVIII. 33. ff. XXVII. 11. -- 15. Marc. XV. 2. -- 6. Luc. XXIII. 2.) In pratorium igitur denuo ingressus, ad se vocavit JESUM, iterumque ab eo quæsit, num revera Judæorum Rex esset; JESUS autem vicissim interrogavit Pilatum, utrum sponte sua hoc absceisciscitaretur, studio veritatis cognoscendæ, an vero ab aliis monitus: quod has ob causas fecit, ut Pilato occasionem ulterius quærendi præberet, atque eo ipso Judæorum malitiam detegeret, suam innocentiam declararet, & Præsidem ad religiosam pietatem revocaret. At Pilatus ægre hanc Christi interrogationem tulit, & subiratus regessit, se Romanum esse hominem, non Judæum, nec morari Judaicas superstitiones, aut concertationes de ipsorum religione; oportere tamen graves esse causas, cur Principes Sacerdotum hoc omnibus modis agant, ut occidatur; & quoniam nondum satis diluerit accusationem regni affectati, se haud abs re inquirere in hoc caput. Tum igitur JESUS aperte docuit, quale sit regnum, nimirum non mundanum, sed spirituale & cæleste, ideoque abs se nil ququam periculi esse metuendum imperio Romano. Interim quia Pilatus audiebat JESUM sibi regnum vindicare & Regis nomen usurpare, licet regni genus distingueret; ex eo perrexit quærere, an quomodocunque foret Rex? Quod denuo JESUS affirmavit, natumque se propterea dixit, ut regnaret, ac ne scius quid inde colligeret Procurator, modum regnandi expressit, his verbis: veni, ut veritatem docerem homines, qui credant obtemperentque nulla vi adacti, sed sponte, vere liberi sint, (*Joh. VIII.*) De qua veritate Pilatus illico sive serio quæsit, sive per contemptum; nec tamen expectato responso, & satis intelligens, JESUM nullos motus excitasse, egressus ad Judæos, & falsus ingenue est, se nullam mortis causam invenire in isto homine. *Joh. XVIII. 33. -- 39.* Hoc Pilati iudicium ægris auribus audiverunt Judæi, atque ideo, ne supplicium insons evaderet, vehementius insisterunt, sperantes, in ea copia aliquid

saltem fore, quod iudicem moveret. Inter alia quoque dictarunt, eum commovisse & ad seditionem concitasse populum doctrina sua per totam Judæam, exorsus Galilæa & progressus ad principem usque civitatem Hierosolymam. Pilatus, audito Galilæa nomine, sciscitatus est, num JESUS esset Galilæus? eoque cognito, occasionem arripuit mittendi Christum ad Herodem Antipam, Galilæa Tetrachiam, eo tempore Hierosolymis agentem festi causa; quod sic se extricare posse hoc iudicio existimaret, aut, ut Herodem clam pungeret, quod cives eius ingenio in seditiones & turbas proclives essent. Herodi certe id gratissimum accidit, sive quod honoris officiique causa hoc factum arbitraretur: sive quod a longo jam tempore Jesum videre gestiverat, cum multa de eo fama percepisset, sperassetque, miraculum quodpiam, se præsentem, editum ab illo iri. Verum spe sua excidit. Nam etli JESUM variis de rebus interrogaret, nullo tamen responso ipsum dignatus est JESUS, nec signum patravit, quod non veritatis amore sed curiositatis duntaxat causa tale peteret. Interea Principes Sacerdotum, qui una iverant ad Herodem, acriter accusare eum non destiterunt, ut Regi quoque suspectum redderent, quasi qui Davidis affectaret solium, ad quod non minus Galilæa quam Judæa pertineret. At Herodes, cum nullum verbum exprimere ab eo potuisset, nec quidquam animadverteret, unde aliquid periculi metuendum sibi ab eo foret, satis habuit eum contemnere, a quo contemni se putabat; ideoque ei una cum satellitibus suis varie illufit, & candida veste indutum ad Pilatum remisit, ut quæsitæ regni crimen ei ita exprobraret; divina tamen providentia factum est, ut JESUS verus Rex gloriæ & Sacerdos justitiæ utriusque muneris insignia gestaret, & ab incisiis invitisque hostibus præclarum innocentiae testimonium reportaret. Hoc tempore & hac occasione Herodes & Pilatus reconciliati sunt, qui antea similtates inimicitiasque foverunt; quia Pilatus

nonnul-

Luc.
XXIII.
4. f.

malis
multis
aliquid
vultu
aliquid
aliquid
aliquid
aliquid

Matth.
XXVII.
15. ff.

nonnulla involaverat, quæ ad Herodis jurisdictionem pertinebant, quando e. c. Galilæorum sanguinem cum sacrificiis eorum miscuit. Luc. XXIII. 4. - 13.

XXX.

Pilatus
remissum
Jesum di-
mittere
vult, sed
Judæi
eum tolli
petunt.

Pilatus vero, ubi videt JESUM ab Herode ad se remissum, nec successisse viam, quam tentaverat, nunc aliam inspicit, & ex Judice cœpit esse Patronus JESU, id unice volvens animo, idque omnibus modis quærens, ut se expediret, & insontem dimitteret. Itaque convocatis in Prætorium Principibus Sacerdotum, Magistratibus, & populo, ad eos dixit, se non comperisse JESUM ullius criminis illi impacti reum: nec Herodem, legem Judaicarum peritum, ad quem propterea eos remiserit, quidquam morte dignum in eo deprehendere potuisse. Velle igitur se, ne nihil ipsorum postulato gratifitari & virgis cæsum dimittere. Sperabat enim fore, ut, conspecto JESU, tot ludibriis & flagris affecto, mitesceret Judæorum furor, nec amplius insisterent importunæ iniquæque postulationi. In mentem quoque ei venerat, quomodo dimittere victum posset; instabat enim festum Paschatis, quo alicui ex captivis vincula demere, eumque carcere emittere consueverat & debuerat Præses Romanus, ex indulgentia Cæsaris, ut pristinæ libertatis umbram aliquam relinqueret populo duræ cervicis, quo servitutem minus sentiret. Cumque tunc victus esset insignis latro, nomine Barabbas, deprehensus inter seditiosos, qui cædes admiserant, Pilatus opinabatur fore, ut citius paterentur Judæi dimitti JESUM, optime de multis meritum, quam publicæ tranquillitatis turbatorem, prævenire cupiebat Judæorum flagitationem; ideoque ad eos dicebat: utrum e duobus vellent dimittendum, sibi; condonandum diei festi gratia, Barabbamne, an JESUM, qui Messias vocabatur & Rex Judæorum. Probe

Probe enim noverat, cum ex fama publica de concionibus & *Manib.*
 miraculis Christi ad se delata, tum ex instituto examine, ubi *XXIV.*
 defecerant Pontifices in probandis accusationis capitibus, quod *15. ff.*
 ex odio intestino innocentem tradiderint. Accedebat mox pu-
 blicum innocentiae CHRISTI testimonium. Confidenti e-
 nim in Tribunali Pilato, nuncium misit conjux, qui significaret,
 multa se perpeffam in somno propter JESUM, moneretque, ne
 quid sibi cum justo illo negocii esse velit. Cum haec aguntur
 in tribunali, Judaei consilium inter se capiunt, quid Praesidi,
 optionem ipsis facienti de JESU & Barabba, responsuri essent.
 Cumque populus nutaret, utrum donari sibi mallet, ac, quod
 credere par est, plerorumque vota in JESUM propenderent,
 suasu Sacerdotum & Seniorum Barabbam dimitti, JESUM au-
 tem occidi postulabant. Sed Pilatus, memor moniti uxoris,
 & gnarus, quam instabiles sunt multitudines animi, quaerit,
 quid facturus esset JESU CHRISTO; sperans, non adeo
 pertinaces in sententia fore, si intelligerent, sibi aliud videri.
 At illi semel exciti, omnes uno ore clamabant, eum in crucem
 tollendum esse. Nec propterea destitit a proposito Pilatus,
 sed semel iterumque eos compellavit rogavitque, quid mali
 commisisset JESUS, ut tam grave & ignominiosum supplicium
 ei subeundum esset. Adversus hanc Judicis aequitatem perti-
 naciter instabant rabidis vociferationibus, ingeminantes furio-
 sam illam de crucifixione cantilenam; & res parum a tumultu
 qui facile in seditionem prorupisset, abesse videbatur. Fractus
 igitur nonnihil Pilatus, consultum putavit cedere furori, &
 gratificare nonnihil Judaeis. Unde in haec prorupit verba:
nihil morte dignum ab eo perpetratum est. Castigatum ergo di-
mittam. Sperabat enim fore, ut rabidi canes, castigatione in-
 nocentis satiati, mitescerent, & desinerent velle eum crucifigere.
 Matth. XXVI. 15. -- 24. Marc. XV. 6. -- 15. Luc. XXIII. 17. -- 24.
 Joh. XVIII. 39. 40.

Joh. XIX.

1. ss.
Flagella-
tur &
exagita-
tur JESUS,
aque ju-
deis ad
crucem
deposci-
tur.

Tunc ergo nil cunctatus Pilatus, JESUM militibus tradi-
dit, flagris cadendum, qui non tantum id strenue exsequuti sunt
Romano more, nudo corpori verbera sine numero infligentes;
sed insuper quoque flagris ludibria addiderunt: coronam quip-
pe e spinis contextam ejus capiti imposuerunt, eumque toga
purpurea induerunt, tanquam majestatis affectata reum, Re-
gemque per jocum salutarunt, & deinceps colaphos ei impege-
runt, ut ante in Cajaphæ palatio factum. Hæc omnia passus
est Pilatus in JESUM designari, ut Judæorum odium hac affli-
ctione placaret. Quare, post tot injuriarum ludibriorumque
genera, denuo tentavit eorum animos. Eam enim ob rem ex
pratorio iterum egressus, JESUM se sequi jubet, & miseranda
facie omnibus conspiciendum sistit, testaturque quarta vice pa-
lam, se nullius criminis reum ipsum comperisse, & in eorum
gratiam ita misere tractasse, ut vix hominem referat amplius,
suoque judicio satis de eo supplicii esse sumtum, si qua in re Ju-
dæos offendisset. Verum tantum aberat, ut JESU conspecto
mitigarentur animi, ut potius effertiores crudelioresque fi-
rent, instar ferarum, quæ carnes gustarunt. Inprimis autem Sa-
cerdotes eorumque ministri populum ad rabiem instigabant, me-
tentes, ne, si JESUS dimitteretur, populus pœnitundine du-
ctus, illum crearet Regem, ac de iis, a quibus concitati erant,
supplicium sumeret. Hinc universi uno ore inclamabant, vo-
gnabundus plane regressit, se nullam in eo reperisse culpam mor-
te dignam; si vero crucem meruisse videretur, ipsi, modo tan-
tam haberent potestatem, illum in crucem tollerent. Ad quæ
Judæi reposuerunt, etiamsi nondum constaret Præsidi, JESUM
contra Cæsareas leges peccasse, se tamen habere legem a DEO
traditam, qua per Cæsarem indulgentiam inter se atque in suos
uñ

uti liceat, secundum quam mortis supplicium meruerit, quum ^{Jo b. XIX.} se Filium DEI fecerit, adeoque divinitatem sibi vendicans blasphemus sit. Quæ accusatio quia quandam probabilitatis speciem habuit, metum Pilato, Judaicarum legum ignaro, incussit. Quamobrem, quum non haberet, quod Judæis responderet, reduxit JESUM in pratorium, eumque iterum allocutus est, cupiens expiscari, quid nova hæc accusatio sibi velit, & quomodo refelli posset. Rogat itaque JESUM, unde esset, an ex DEO, an ex hominibus? JESUS autem nihil quidquam respondit, ne videretur aliquid tentasse, quo elaberetur; quod enim hæcenus responderat, innocentiam suam testatam esse voluit; mortem autem volens ac lubens oppetere decreverat. Pilatus, hujus mysterii inscius, admiratus Christi silentium, cum judicem haberet tam faventem, ut ad respondendum invitaret, idque ei exprobravit, dicens: ignorasne potestatem me habere, te vel in crucem tollendi, vel dimittendi? Ad quæ JESUS, nullam Pilatum in se, utpote DEI Filium, Regumque Regum, potestatem habiturum, nisi ea cœlitus ipsi concessa esset: tacite quoque eum monuit; ne sua potestate abutatur, imo corripuit, quod innocentem virgis cædi jusserit. Addidit denique, gravius peccare Judæos ad supplicium se postulantes, quam ipsum; neutros tamen impune tantum scelus laturos. Quæ cum animo expenderet Pilatus, impensius studuit eum manibus Judæorum eximere; ac, cum Judæi regeffissent, eum Cæsaris amicum non futurum amplius, sed provinciam amissurum, si hunc JESUM dimissurus esset, qui se Regem fecisset, & Cæsari contradixisset, quum neminem patiatur nomen & potestatem Regis usurpare, nisi ex suo decreto & consensu: non tamen hisce clamoribus usque adeo teritus fuit, ut desierit illico JESUM liberare. Nam cum iterum produxit ad populum Judaicum, & pro tribunali ipse sedit, præsentique multitudini JESUM ex edito loco monstrat, ut vel ex ipsa specie li-

Joh. XIX. 14. seqq. queret, quam injuste eum criminis affectata tyrannidis accusarent, cum maxime humilis & mansuetus sit, ac nocere nemini possit, aut velit. Cæsar sibi nil metuit sibi ab hoc Rege vestro, vos modi illius miseremini, & ignoscite, si falso se jactavit Regem & Messiam, ob hanc temeritatem satis dura perpeso. At illi pervicacius etiam succlamabant: *tolle, tolle, crucifige illum: regerentique Pilato; an ergo Regem vestrum crucifigam, responderunt Pontifices nomine totius populi: Regem alium, quam Cæsarem non habemus.* Tanta erat penes nefarios homines nocendi libido, ut sese ultro in æternam servitutem addicerent, quo JESUM, veræ libertatis auctorem assertoremque, extinguerent. *Joh. XIX. 1. -- 16.*

XXXII.

Tandem furori Judæorum cedit Pilatus & JESUM crucifigendam tradidit.

Quum igitur Pilatus animadverteret, quod nihil proficeret, tentata quacunque JESUM liberandi ratione, sed major etiam vulgi a Pontificibus incitati tumultus oriretur, cessit favori Judæorum; ut tamen constaret omnibus, ipso invito JESUM ad mortem damnari, non verbis tantum sed etiam luculento signo testimonium illustre summeque memorabile innocentia CHRISTI daturus denuo, malluvium sibi in tribunal afferi jussit, & sumta aqua manus lavit in conspectu populi, eumque his verbis affatus est: *innocens sum a sanguine hujus justis, ut pervicaciæ vestrae rationem reddere possitis.* Vos vero videtis, ut pervicaciæ vestrae rationem reddere possitis. Omnis culpa in vestrum redundabit caput. Ad hæc protinus universa multitudo recepit in se omnem culpam, dira sibi & posteris imprecata voce una, *sanguis ejus, inquit, super nos & filios nostros recidat.* Ita divinæ justitiæ sua suorumque capita miserilatus quoque se non diluit; sed magis polluit, & implicavit, non exuit, quum impiis Judæorum postulatis facere satis voluit, & propria

propria sæpiusque iterata confessione innoxium condemnavit, & cædis seditionisque reum Barabbam dimisit, & JESUM in crucem tollendum a militibus adduci iussit. Tum milites sine mora assumpto & in Prætorium reducto JESU, convocarunt integram cohortem, iterumque ei illudere cœperunt; detractis quippe vestibus, quas in Prætorium ingressus denuo induerat, sagulum purpureum, ut antea, ei injecerunt, coronam spineam capiti illius imposuerunt, & calamum dextra pro sceptro gerendum dederunt, quasi adoraturi genua coram eo flexerunt, & Regem Judæorum salutaverunt. Mox sputis eum scædarunt, & crepto calamo caput ejus percusserunt: ac posteaquam satis ita ei illuserunt, toga purpurea exutum pristinis consuetisque vestibus induerunt, ut dignosci ex habitu posset, atque ad supplicii locum ducere cœperunt. *Matth. XXVII, 24. -- 32. Marc. XV. 15. -- 21. Luc. XXIII. 24. f.*

*Matth.
XXVII.
24. f.*

XXXIII.

Itaque JESUS e prætorio cruentis gressibus raptatus est per urbem; egressus per portam judicariam, atque id viæ eminentis, quæ ad supplicii locum extra civitatem duceret, ut is locus responderet figuræ victimarum, extra populi castra immolatarum, *Hebr. XIII. 12.* Cogebatur autem JESUS, exhaustus licet & debilitatus flagris & verberibus, ferre crucem suam, *Isaaci* aliorumque typum ejus gestantium, & vaticinia implens; (*Vid. Hieronym.*) ne autem sub pondere occumberet, milites forte tunc temporis rure redeuntem Judæum Cyrenensem, cui nomen erat Simoni, humeros oneri subjicere cœgerunt. Interea ingens turba omnis generis hominum, ut fieri solet, sequebatur JESUM, & mulieres quidem multæ, doctrinæ miraculisque ejus ita permotæ, ut ei adhererent, gravissimo planctu eum lugebant, ac *υλαραδρια* lachrymis gestibusque declarabant. Quam plangentium turbam ubi conspexit JESUS,

*Ducitur
ad locum
supplicii,
crucem
portans.*

Matth.
XXVII.
32. ff.

SUS ad eam conversus, non damnavit quidem proorsus ploratum illarum; monuit tamen ne tam propter se quam calamitates proprias, Judæis liberisque suis obventuras, flerent; ad tantas enim angustias Judæos, ob hoc quoque in se perpetratum scelus, & rejectos gratiæ thesauros, redactum iri brevi, ut cum nusquam tutum refugii locum reperire queant, montibus & collibus contegi, sint optaturi. Quæ trito verbo JESUS firmat: *si in humido ligno id faciunt, in arido quid fiet?* Luc. XXIII. 26. -- 32. Una vero cum JESU ad mortem ducebantur duo latrones, simul crucifigendi: cumque perventum esset ad locum Golgotha sive Calvariæ, cruces figerentur, & omnia ad supplicium pararentur, offertur Christo vinum acescens myrrha mistum, quod ubi gustavit, bibere noluit, ut ostenderet se nullo indigere ad dolores ferendos in cruce medicamine, & mortis amaritudinem propter nos gustare velle. Mox vestibus exutum in crucem sustulerunt nudum: quam ignominiam ideo sustinuit Salvator optimus, ut nostram nuditatem, quam post lapsum agnovere protoplasti, expiaret, & vestes justitiæ sanctitatisque nobis cruenta passione & morte sua acquireret. Crucis vero ligno eandem ob causam adfigi, quam alio supplicii genere adfici voluit, ut sicut protoplasti in ligno nobis mortem pepererunt, fructum arboris vetitæ degustantes; ita quoque vitam in ligno nobis acquireret. Adhæc servi formam induerat & servile supplicium subierat, ut nos e servitute peccati & diaboli erueret, & in plenam libertatem restitueret. Unde ad hoc ipsum ignominiosissimum & acutissimum mortis genus Vates passim respexerunt, idque haud obscuris indicis monstrarunt. Matth. XXVII. 32. -- 35. Marc. XV. 21. -- 24. Luc. XXIII. 32. 33. Joh. XIX. 17. 18.

XXXIV.

Vestes
ejus divi-
duntur

Milites autem posteaquam JESUM crucifixerunt, vestes, quas ei detraxerunt, in quatuor partes diviserunt, ita ut quatuor

tuor milites, carnificum munere fungentes, singuli partem sibi *Job. XIX.*
 vindicarent; tunicam tamen inconsutilem dividere nolue- *20. seqq.*
 runt, sed de ea fortiti sunt, ut ejus foret tota, cui fors faveret. *excepta*
 Quod certe non sine singulari DEI providentia factum censi- *inconsuti-*
 debet. Ita enim impletum fuit, quod David Pl. XXII. 9. de *li tunica.*
 eo cecinit. Milites vero isti, cum damnatos crucifixissent, in
 quorum medio Christus erat, deinceps ibi sedebant, custodiæ
 causa; ne quis discipulorum amicorumque JESUM inprimis
 ex infelici ligno liberaret & auferret. Pilatus etiam tabellæ de- *Titulus*
 albatae inscribi causam Hebraica, Græca, & Romana lingua, *Crucisim-*
 affigique inscriptionem supra pendentis caput jussit, cujus hæc *positus.*
 erant verba: HIC EST JESVS NAZARENVS REX
 JVDÆORVM, ut a pluribus legi intelligique posset; quem-
 admodum etiam factum est a Judæis præsertim, cum Calvaria
 non procul ab urbis mœnibus distaret. Hæcque res male habuit
 eorum Proceres, qui propterea Pilatum orarunt, ut inscriptio-
 nem mutaret, & hanc reponeret: HIC EST JESUS NA-
 ZARENVS, QVI DIXIT SE ESSE REGEM JVDÆO-
 RVM. At Pilatus, qui hæcenus ultra quam debuerat, in mul-
 tis morigeratus est illorum odiis, nunc importunitatis & iniqui-
 tatis pertasus, negavit se titulum mutaturum. Quod divina
 providentia factum esse, credere par est, ut vel Ethnicus doce-
 ret Judæos, quisnam esset JESUS. Joh. XIX. 20. -- 24.

XXXV.

Erat autem hora ab ortu Solis circiter tertia, quando JE- *Illuditer*
 SUS in crucem est sublatus, & quidem inter duos latrones me- *Christus*
 dius; ut hoc ipso in extremum apud omnes spectatores con- *a Judæis,*
 temtum adduceretur, ac pro principe & antesignano scelerato- *eorumque*
 rum haberetur. Divina tamen hic iterum providentia relu- *Proceri-*
 xit; sic enim impletum fuit, quod Esaias olim vaticinatus est Cap. *bns,*
 LIII. 12. prævaricatoribus annumeratus & reputatus est Media-
 tor

Matth. tor DEI & hominum, qui se dedit *ἀντὶ πάντων* pro omnibus, & pro
XXVI. 39. impiis mori voluit. (Vid. Luc. XXII. 37.) Marc. XV. 27. 28.
ff. Neque hic finis ludibriorum erat, sed ex omni fere parte alia post
 alia conjecta in innocentem sunt; quæ omnia tamen admiranda
 cum patientia sustinuit, & Patrem rogavit, ut ne promeritas
 pœnas ab iis sumeret, quod multi eorum ignorantia peccarent.
 Nam & Judæi & Ethnici eum subsannarunt, & convitiis prosci-
 derunt, cunctaque ipsius dicta & facta, quorum recordari po-
 terant, blasphemarunt. Fuerunt ex prætereuntibus, qui ge-
 stibus, v. g. quassatione capitiu contentum significarent
 (Psal. XXII. 8.) adderentque verba contumeliosa, quibus insulta-
 bant Servatori Optimo Maximo, atque tantam miseriam ex-
 probabant, & impotentiam implendi prædicta obijciebant,
 quod egregie scilicet templum, quod destructurum se commi-
 natus sit, idq; triduo instauraturum promiserit, faciat. Nunc
 te ipsum serva, & experire vires tuas: si Filius DEI es, ceu publice
 jactitasti, id comprobato nunc miraculo, ut clavis e manibus
 pedibusque excussis, salvus & integro corpore e cruce descen-
 das. Quod quando non facis, ostendis, te minime divina
 præditum potentia, nec Filium DEI esse. His non meliores
 fuere Principes Sacerdotum, cœterique Judaicæ gentis proce-
 res, miracula ab eo in tot tantisque ægrotis edita irridentes, ac
 libere inter se dicentes: alios liberavit a morbis & flagris, se-
 ipsum nunc, ubi tempus est, salvum facere nequit. Rex Israël:
 tuus, tum ei fidem adhibebimus, & adhærebimus. Quod si
 vel nolit, vel non possit præstare, confidentiam, quam in DEO
 Patre se habere professus est, ei in memoriam revocamus, &
 quia cruci affixus manet, vanam gloriationem & fiduciam, & fi-
 liationis esse, deprehendimus. *Matth. XXVI. 39. -- 44. Marc.*
XV. 29. -- 33. Luc. XXIII. 33. -- 36.

XXXVI.

Horum exemplum pessimum imitati & milites, & latrones in pari supplicio constituti, similiter Salvatore illudebant; ac illi quidem accedentes ad eum ipsique porrigentes acetum, non tam reficiendi quam subsannandi causa, eadem objecerunt, dicentes: si Rex es Judæorum, qui populares e Romanorum potestate liberare possis, libera te ipsum. Hi vero etiam contumeliose adorti JESUM, his verbis eum allocuti sunt: si tu es Messias, & te & nos libera. Alter vero horum maleficorum mox ad se rediens, & memoria repetens CHRISTI doctrinam ac miracula, sodalem se vere objurgavit, & ad sanio-rem mentem revocare studuit, proposito timore DEI, quo duci debeat ad mitius ferendum judicium de proximo, eandem secum fortem experto, & miseratione potius quam insectatione digno: imo innocenter patiente, & ex mera Pontificum Procerumque invidia in crucem sublato; quum ipsi tale supplicium propter admissa latrocinia merito sustineant. Nec dubitandum, quia DEUS JESUM, qui tantam ei potestatem dedit miracula innumera faciendi, mox liberaturus sit. His dictis, ad JESUM se convertit, eundemque his verbis, pœnitentia & fide plenis, allocutus est: *o Domine, memor esto mei, cum veneris in regnum tuum, & fac, quælo, ut aliquem in eo locum ex gratia & intercessione tua consequar.* Cui JESUS illico respondit, eum propter insignem hanc in se fidem eo ipso die secum futurum in beatissimis sedibus, in quas piorum animæ, cum corporibus excidunt, transferuntur. *Luc. XXIII. 39. - 44.*

XXXVII.

Cumque eo tempore juxta crucem starent Johannes & tres feminae, interque eas mater Domini, experta inprimis, quod Simeon prædixerat *Luc. II. 35.* JESUS ad matrem se con-

R

vertit

*Matrem
Johanni,
& hunc
illi com-
mendat.*

*Luc.
XXIII. 39.
ff.
a militi-
bus & la-
tronibus;
horum
tamen
unus ad
sanio-rem
mentem
redit.*

*o Domine
quælo
inter-
cessione*

Joh. XIX. 25. seqq. vertit eidemque de curatore prospexit, his illam allocutus ver-
 bis: *mulier, ecce filius tuus* erit adstans Johannes, qui meas vi-
 ces supplebit, teque perinde ac matrem honorabit, & curatoris
 officium fideliter implebit. Mox ad Johannem conversus, ei
 matrem suam commendavit, ac illam suæ matris loco colere &
 fovere jussit, & quasi Testamentum condidit domesticum, quo
 pietatis officia inter utrosque divisit, ut *Ambrosius* L.III. *Epist.*
XXV. scripsit. Ab eo tempore Johannes Mariam recepit, se-
 cum habitare voluit, & quæ Dominus jusserat, obsequiose præ-
 stitit. *Joh. XIX. 25. -- 28.*

XXXVIII.

*Eclipsis
 Solis &
 querela
 Christi.*

Posthæc, cum jam per tres horas JESUS in cruce pependis-
 set, circa horam sextam, tempore meridiano, quo Sol maxime
 lucere ac fervere solet, prodigiosa & horrenda eclipsis subito
 incidit, Luna non inter Solem Terramque interjecta, sed ex ad-
 verso Solis stante, quæ universo terrarum orbi incubuit, & ad
 horam usque nonam duravit. Sol enim obscuratus fuit pro-
 tumeliis affecto, pati, radios contraxit, ne conspiceret impio-
 rum facinora, utque iis finem & silentium quasi imponeret, & fi-
 gnum exequiarum Salvatoris daret. Dispulsis tenebris, sed
 auctis cruciatibus, JESUS atrocitatem gravitatemque peccato-
 rum nostrorum, & magnitudinem cruciatuum suorum testa-
 turus, magna voce exclamavit verbis ex Hymno Davidis:
XXII. 2. desumptis, sed idiomate Hierosolymitano prolatis:
 ELOHI ELOHI LAMMAH SABACHTANI, quæ La-
 tine sonant: *ô DEUS mi, ô DEUS mi, quare me dereliquisti.*
 Quæ adstantes, vel ex Syriacæ linguæ ignorantia, vel ex illu-
 sione eo traxerunt, quasi abjecta in DEUM fiducia, ad sancto-
 rum opem confugeret, & Eliam Prophetam invocaret. Unus
 autem illorum illico spongiam aceto implevit, eamque calami
 extremitati alligatam, vociferantis ori admovit, ut eum non-
 nihil

nihil reficeret. Alii, ad ludibria delapsi, dixerunt: *sine, videamus, an venturus sit Elias servatum eum?* Matth. XXVII. 45. -- 50. Marc. XV. 33. -- 37. Luc. XXIII. 44. f. XXXIX.

Matth. XXVII, 45. f.

Postea JESUS intelligens perpeffionum suarum finem instare, & reliqua omnia, quæ Pater divino consilio decreverat, Scripturæque prædixerant, ante mortem agenda & sufferenda, jam esse completa, præter illud, quod de siti sua & oblato aceto, David vaticino spiritu Psal. LXIX. 22. cecinit, vigiliis, angustiis, & crebro fluxu sanguinis, exhaustus, sitire se dixit. Positum autem illic erat vas, aceto plenum myrrha mistum, quo adstantium quidam spongiam implevit, & extremo hystopi scapo religatam ori ipsius admovit. Quod ubi luxit & gustavit, in hoc verbum erupit: *consummatum est*, atque spiritum subfesto reddidit, postquam magna voce rursus e Psal. XXXI. 6. exclamasset, eaque declarasset, satis sibi virium esse ad vivendum, si vellet; *o Pater, in manus tuas providas, benignas & omnipotentes depono spiritum meum*, cum præstituto tempore, resumpturus. (Joh. X. 17. f.) His dictis, inclinato molliter capite, animam efflavit. Matth. XXVII. 50. Marc. XV. 37. Luc. XXIII. 46. Joh. XIX. 28. -- 31.

Siti, spiritum Patris commendat & exspirat.

XL.

Mortem Domini mox secuta sunt miracula, ad attentionem meditationemque tam salutis humano generi mortis omnes singulosque excitantia. Nam (I.) velum illud, quod adytum a Sanctuario secernit, & densissimum firmissimumque fuit, ac libere pependit, ut nulla vi, ac ne vento quidem agitato rumpipotuerit, a summa ora ad infimam, in duas partes scissum est. Quo significabatur, finem imponi typis legalibus, & DEUM non tantum irasci Judæis, JESUM iis involutum nec videntibus nec quærentibus, sed etiam aditum patere liberum ad DEUM per JESUM, (Hebr. X. 20.)

Miracula mortem Christi insecuta. 1. Velum scissio.

Matth.
XXVII.

31. ff.

2. Terra
motus.

3. apertio
sepul-
chror.

(II.) Deinde factus est terræ motus supernaturalis, & tantus, ut rupes firmissimæ passim dissilierint. Quo innuebatur ira DEI in hostes Christi, cujus majestate, quam illi prosciderunt, terra contremuit, & Dominum suum sustinere non potuit. Conf. Hag. II. 7. (III.) Tum quoque monumenta multa aperta sunt, & corpora sanctorum plurimorum, qui obdormiverant in Domino, visa post triduum, cum resurrexisset JESUS, simul cum & ab eo excitata, & civitatem sanctam ingressa multis conspicua facta sunt, quibus de Salvatoris resurrectione & fructu effectuque ejus testari debebant. His miraculis permoti multi fuerunt, eorundemque vim in se experti sunt. Inter eos Centurio & milites, ex adverso crucifixorum stantes observantesque, ne forte raperetur JESUS a discipulis, cum terræ motum & quæ acciderant, sensissent, vehementer consternati sunt, & non tantum collegerunt inde, Christum hominem justum, ac proin ad mortem injuste damnatum, sed etiam eundem vere Filium DEI fuisse, quemadmodum ipse dixerit, non magnificentius quam verius. Alii etiam bene multi, ex promiscua turba, spectandi causa in montem Golgatha egressi, his animadvertens, summopere perculsi, ac redeuntes in urbem pectora sua percusserunt, testatique ita sunt partim dolorem ob JESUM innocentem trucidatum, partim indignationem in eos, qui tanti sceleris autores extiterunt, & in se redierunt, pœnitentia ducti. Aderant etiam ibi mulieres e longinquo spectantes, quæ JESUM secutæ sunt, eique ministrarunt, tantæ rei testes fide dignæ, ut nihil quidquam vocari in dubium jure queat. Matth. XXVII. 51. -- 57. Marc. XV. 38. Luc. XXIII. 45. -- 50.

XLI.

Mortui
Christi la-
mper-
fora-

De morte Servatoris, & quæ eam exceperint nun ciaverintque prodigia, hæcenus egimus, & jam ordo postulat, ut de ejus sepultura quædam referantur. Nec tamen prætermittenda

tenda sunt, quæ contigere, priusquam humaretur. Cum es-
 set dies Veneris, quem præparationem Sabbathi vocare solent *Joh. XVIII.*
 Judæi, & Sabbathum tum incidens in unum ex octo paschali- *31. ff.*
 bus diebus, solennius celebraretur, Proceres Hebræorum pieta- *tur, unde*
 tis aliquam speciem legumque Mosaicarum observationem præ *sanguis*
 seferentes, noluerunt relinquere in Cruce suspensorum corpo- *& aqua*
 ra, (Deut. XXI. 22. 23.) ne terra sancta contaminaretur illis no- *fluxit.*
 ctu e patibulo pendentibus: itaq; Pilatum adierunt, & ab eo pe-
 tierunt, ut crura pro more frangerentur crucifixis, quo com-
 pendio mortis a cruciatu liberarentur, & mortui sepelirentur.
 Concessit Pilatus, quod petebant, & cum in finem missi milites
 duorum Latronum, etiamnum viventium, crura fregerunt.
 Sed cum ad JESUM venissent, eumque jam mortuum animad-
 vertissent, haud opus esse duxerunt, crura ei frangere. Unus
 tamen militum lancea latus ejus confodit, sive animo expiscan-
 di, an vere mortuus sit Christus, sive ex petulantia & instigatio-
 ne Judæorum: atque ex hoc vulnere statim sanguis & aqua se-
 orsim profluxit, distincteque observari potuit. Quod non abs-
 que miraculo factum existimari debet, ob fluxum continuum
 & copiosum: eamque in rem Johannes tanta usus est assevera-
 tione, cujus testimonii veritas in dubium vocari nequit, quum
 ipse viderit & Spiritus S. inspiratione scripto propterea confi-
 gnaverit, ut fidem certam aliis faceret. Ad duo Novi Testa-
 menti Sacramenta id veteres traxere, videturque ipse Johannes
 mysticam hanc explicationem subministrare, Christum *venisse*
 scribens *per aquam & sanguinem*, 1. Joh. V. 6. & *ψ. 8. tres esse,*
qui testimonium perhibent in terra, spiritum, per verbum Evan-
geli, aquam in Baptismo, & sanguinem in S. Cæna. Neque
 sine singulari DEI providentia factum est, quod crura Christo
 fracta non fuerint, ut latronibus, sed ut eveniret, quod in typo
 agni paschalis adumbratum & scriptum est: *os ejus non con-*
fringetur, & alius locus Scripturæ impleteretur: Videbunt,
quem

Matth.
XXVII,
57. ff.

Josephus
& Nico-
demus se-
peliunt
JESUM
honeste.

quem confoderunt, Zachar. (XII. 10.) Joh. XVIII 31. ..
38.

XLII.

De honesta sepultura Domini solliciti fuere duo viri honestissimi & dignitate inter Judzos conspicui. Quorum alter erat Josephus, ortus ex civitate Arimathæa, Senator s. Adfessor magni Synedrii, occultus Christi discipulus, propter metum Judæorum, expectans regnum Messie, homo justus & probus, qui non consenserat consiliis & actionibus sanguinolentis Synedrii de JESU trucidando. Is, qui antea palam profiteri non audebat doctrinam Christi, nunc abjecto omni metu & insuper habitis omnibus periculis, quæ Collegis ei imminebant, sumta fiducia, Pilatum adiit, atque ab eo petiit, ut sibi permetteret, ad sepulturam corpus JESU tollere. Alter Nicodemus, qui noctu quondam Christum accesserat, Joh. III. 2. ejusque defensionem contra Phariseos susceperat, Joh. VII. 50. 51. & compassionem nunc sibi circiter centum libras unguenti, myrrha & aloë confecti, quo corpus Domini condiret. Pilatus JESUM tam cito animam efflasse miratus, quia lentam crucifixorum mortem esse noverat, an ita res haberet, quasivit a Centurione, qui custodiæ reorum præfectus fuerat; ab eo cum verum esse comperisset, potestatem fecit Josepho & Nicodemo corporis humandi. Sine mora igitur ad Calvariam properant, & Josephus Christi sanctissimum corpus e cruce detraxit, detrahitum abluit, lotum munda sindone involvit, involutumque cum aromatibus a Nicodemo paratis, eo modo, quo receptum fuit Judæis ad funus componere, ad sepulchrum suum, quod in horto Calvarie vicino (neque enim propter instans Sabbatum, nocteque jam ingruente, in remotiorem locum ferri poterat) nuper excavari sibi in petra voluit, & in quo nondum nullus mortuus collocatus fuerat, transtulit. Ostio autem monumenti saxum ingens advolvi curavit, partim ne sciviri in corpus

pus Dominicum, partim ne furtim illud auferri potuerit. Qui *Matth.*
 bus rite peractis in urbem rediit. Subsecuta mulieres piæ, e *XXVII.*
 Galilæa cum JESU venientes, interea dum Josephus conderet *57. ff.*
 corpus, e regione monumenti confederunt, sedulo observan-
 tes, quid de eo fieret, quo in loco, & quomodo sepeliretur; eo
 animo, ut exacto Sabbatho ad pollincturam redirent; igitur
 Hierosolymam properæ reversæ, ante Solis occasum aromata
 & unguenta paraverunt, quibus iterum condirent JESUM,
 postquam feriæ Sabbathi præterissent, quas ex legis præscripto
 diligenter observarunt. *Matth. XXVII. 57. -- 61. Marc. XV.*
42. -- 47. Luc. XXIII. 54. -- 56. Joh. XIX. 38. -- 41.

XLIII.

Tam honorifica CHRISTI sepultura a Josepho & Nico- *Lapidem*
 demo, Pilati indultu procurata, male habuit Judaicos proceres, *sepulchra-*
 ac metuere cœperunt, ne illa præludium gloriosæ resurrectio- *lem obsi-*
 nis esset, sicut & revera fuit. Quamobrem ipso die Sabbathi *gnari &*
 Principes quidam & Senatores Pharisaicæ factionis, quæ reli- *sepul-*
 giosior videri aliis volebat, Pilatum convenerunt, & custodiam *chrum*
 sepulchri, in quo conditum Domini corpus erat, ab eo sollicitè *custodiri*
 petebant, donec tertius dies elapsus esset, causantes, se recor- *petunt*
 dari, impostorem illum ac seductorem (sic scelestissimi homines *Judæi im-*
 JESUM vocare non erubescunt, cum ipsi ante fateri coacti fue- *petrant-*
 rint, quod verax esset, viamque Domini recte traderet, (*Matth.*
XXII. 26. Conf. Joh. III. 1.) jactasse, cum in vivis esset, quod
 post tres dies excitandus sit e mortuis. Haud enim abs re me-
 tuendum, discipulos noctu eum abluros & in vulgus sparsu-
 ros, eum surrexisse. Qui posterior error priore longe gravior
 curatuque difficilior esset futurus; facile enim passuram ple-
 bem sibi persuaderi, eum esse DEI Filium, quem tertio die a
 mortuis excitatum sint edocti: id quod in extremam politicæ
 Judaicæ perniciem erumpere possit, quandoquidem vulgus re-
 bellionem